IACOBI SADOLETI

EPISCOPI CARPENTORACTI S. R. E. *Tituli ſancti Calixti Preſbyteri Cardinalis de laudibus Philoſophiæ libri duo, in quibus omnis quum ueterum tum recentiorum diſceptatio, qua quidam uehementer labo/ rarunt, diſcutitur.*

ADIECIMVS ENCOMIA QVAE/ *dam de uera Philoſophia. Cum indice uer borum diligentiſſimo.*



Baſileæ apud Nicol. Bryling.
ANNO M. D. XLI.

NICOLAVS BORBONIVS VAN-
doperanus ad Iacobum Sadoletum ui
rum eloquentiſſimum.

Quum ſtudium Sophiæ, quid ſit, quid non ſit agendū,
Monſtret, ut ad ueras perueniamus opes:
Hoc totis quur non omnes ampleƈtimur ulnis?
Quur, quæ uulgus amat, malumus illa ſequi?
At iam tandem utinam reſipiſcant ſecula noſtra,
Iudiciumq; probent, ô Sadolete, tuum.
Eſſe magis brutos homines ego iudico brutis,
Quos tua non fando flexerit alma Charis.

IDEM BORBONIVS
ad leƈtorem.

Ἥνιδ᾽ ἀναγνωστά σοι τὸ περὶ ἐγκώμιον
φιλοσοφίας, μᾶλλον δὲ εἴδωλον πνέον,
Τὸ ἔγραψέν σοι ὁ κλεινὸς Σαδόλητος μέγας,
Ἀνὴρ ὁ θεῖος, ὁ τεχνίτης ἐξαίρετος.

IACOBI SADOLETI EPISC. CAR
*pentoracti S.R.E. Tituli S. Calixi Perſbyteri Cardin.
ad Marium Maffeum Volaterranum de Philo
ſophia, lib. I, qui inſcribitur*

PHAEDRVS,

In quo accuſatio philoſophiæ
continetur.

OMnis, Mari Volaterrane, quę ad bene beateq; uiuendũ pertinet doctrinæ inſtitutio, ducta primũ mihi quidem à Philoſophiæ præceptis uidetur eſſe: atq; ab eius facultate diſciplinæ, quæ in contemplatione rerum naturalium, & moribus ad uirtutem fingendis, cõſtituendiſq; cernitur. Poſt autem his literis, quæ quemadmodũ ſunt, ſic etiam uocantur ſacræ: in quibus uera Dei percipitur cognitio, quum aucta & corroborata, tum ad extremum ex uarijs fluctibus iactationibuſq; uitæ, quas noſtra imbecillitas fert, ad ſtabilẽ certamq; ſpem immortalitatis conuerſa, atq; translata. Ac nos, qui (ut tu ipſe optimus teſtis es)

harum artium utranq; adamauimus ſemper, & nunc quidem iam in alterã hanc, quæ noſtræ & perſonæ propria eſt, & religionis, tanquã in portum uela deflectere, & pleno curſu contẽdere cogitamus: adhuc tamen in Philoſophia magis exercitati, qđ in illa plurimũ operæ, & quantũ ab occupatiõibus publicis, quę nos diu & multum diſtrictos tenuerunt, diſiungi licuit, antè actę ætatis conſumpſimus: duximus non alienum, nec noſtra dignitate, nec eorum, quos ad uirtutis ſtudium atq; amorẽ genuit ipſa natura, utilitate, nos facturos, ſi quæ de hominibus doctiſsimis, Gręcis præſertim, quorũ in hac laude ſine ulla dubitatione excellit induſtria, accepta à nobis fuiſſent, ea Latino ſermone conſcriberemus: primumq; gratia hac debita ea quidẽ et merita Philoſophię reddita, toto deinde pectore, ut dicitur, matureſcentibus etiam annis ad illam cœleſtem ſciẽtiã incumberemus. Atq; hoc ita agere id ſtudioſius etiã ſumus medi-

tati

tati, quod in hoc tempus Latinis quidem literis deſiderari uidetur Philoſophia: non quin & apud ueteres, & noſtra etiam, ac patrũ auorumq́ memoria extiterint docti uiri, qui eam uelut incertis ſedibus peregrinantẽ & uagam, et maxime quidẽ poſteaq́ eiecta è Græcia eſt, in hanc urbẽ adſciſcere & potuerint, & partim etiã conati ſint: ſed ita ferente caſu quodã bonis artibus infeſto, & qui uoluerunt uarijs plerunq; rationibus impediti, in medio ſpatio reſtiterunt: & qui potuerunt non fere ſunt ad eam uoluntatem adducti. Ita illa neceſſariò penes barbaros morata, tanquã iuris noſtri moriſq; expers, caruit honore & nomine ciuitatis. Ac ut illum omnis doctrinæ & eloquentiæ parentem potiſsimum nominemus, M. Tullius Cicero etiam profeſſus fuit hoc ſe populo exhibiturum, ut Græcè tum loquentẽ Philoſophiam ad Latinam ſermonis conſuetudinẽ adduceret: quẽ ego unũ maximè ſtatuo incredibili quadã magnitudine

ingenij,qua & omnes longè uicit ſu-
periores, & poſteris ſpem penè ſui
imitandi ademit,cumulate quod ſu-
ſceperat præſtare potuiſſe: Verùm
ſiue infinitis nouæ Academiæ (ſic
ẽm appellabatur orta ab Archeſila,à
Carneade confirmata diſciplinæ ra-
tio)diſputationibus impeditus ,qua
rum illa contra omnia dicendo nun
quam terminauit modũ; ſiue quòd
propinquo & celeri quum ſuo tum
Reip. fato,illius per uim nefariã fuit
interrupta induſtria,minus aliquan
to nobis præbuit, quàm aut optare-
mus,aut ab illa diuina mente potuit
expectari, Moralem partem Philo-
ſophiæ perſecutus eſt, eãq; carptim
ſeparatis quæſtionibus; in phyſicis
quidem nihil attigit: nec uerò de ea
parte,quæ ad diſſerendum tota eſt,li
teram omnino fecit ullam. Quòd ſi
ille tũ hoc conatus eſt, in quo illi nõ
animus aut ingenium, ſed ex parte
quadã fortuna defuit, ut Philoſophi
am è lingua nobili, & in primis me-
morata transferret in Latiũ,aliquan
tumq;

tūq; ei ſplendoris & dignitatis ſe adiuncturū à Romana facundia exiſtimaret: quid nos tandē, & nobiſcum unà cæteros omneis, quibus cordi Philoſophia eſt, agere conuenit? aut quanto elaborare ſtudio, ut tendentē nobis ultro manus, fidēq; et opem noſtrā implorātē, pro ſua parte et facultate quiſq; à barbarorū inſcita & moribus in Latinitatē uindicemus? Etenim qd eſt qd' equo minus queat animo ferre quiſquā inſtitutus liberaliter, q caput artiū optimarum, ornatricē uniuerſę uitæ Philoſophiam poſsideri ab ijs, qui ut acute forſitan aliquando moueri uideātur ad diſſerendū de ea, inaniter tamē & id agūt & orationē afferunt ineptā, & horridā, turbantē coigitata tū deblaterantiū ipſorū, tum eorū qui audiunt: nihil ut ex ea ꝓprium, nihil ut dilucidè ſignificans percipi poſsit? Ex quo factū eſt nō ut in exquirēda ueritate, q eſt unū munus Philoſophię maximè propriū, ſed ut in uerborū, et inaniū quęſtionū utilibus cōtrouerſijs omīs

iampridē ab his ſuſcipiatur contentio. Sed ut in ueteri prouerbio eſt, Balbi balbos, ſic iſtos ſui & agnoſcūt & probant. At nos, quibus expetenda illa ſemper, & præcipuè colenda uiſa eſt, quæ ſapientiæ cum eloquentia naturalis eſt ſocietas, quiq; mētis ſimulachrum ducimus orationē, ut ex huius forma et pulchritudine, illa quoq; quę intus eſt ſpectari animi dignitas & eluceſcere foris poſsit: demus operam, ſi modò aſſequi poſſumus, ut Philoſophiā iampridē laborantem barbarie nomine Latinis literis illuſtremus. Quod profecto adnitemur, eo ingreſsi animo, ut niſi uitam uis aliqua premerit, aut autoritas maior occupauerit, omnē ipſam Platonicā, & Ariſtotelicā formā diſciplinæ non interpretis munere, ſed ordine & iudicio noſtro noſtris hominibus tradere parati ſimus. Quod maiore etiā cum ſpe, lætitiaq; aggredimur, quod intelligimus nō ſolum in Italia, quæ ſemper omniū bonarū artiū parens iure exiſtimata eſt: uerū

etiam

etiam trans alpes in Gallijs, Germa-
nijsq; quam multi iam exiſtant, qui
ſe ad politiores dedant literas: quiq;
hæc ipſa, quæ nos reprehēdimus, mi
nime probanda putent; etiā inſecten
tur eorum infantiā, qui audeant præ
claras è Philoſophia ſentētias, ſermo
nis ruditate, tanquam cœno aliquo
inquinare. Qui quidem tali ingenio
prędití, barbari certe non ſunt. Non
enim quos à nobis aut montium ex-
celſitas, aut latitudo æquorū diiun-
xit, ſed quā cum uere religionis cultu
nō peragrauit humanitas, & artium
amor ingenuarū, ea certa, & ſola eſt
barbaria. Atqui horum ope atq; au-
xilio, aliorumq; multorum, quos ſi-
militer ad iudicandum, agendumq;
idoneos ingenij dotibus natura ipſa
ſubornauit, ſi plures in hanc præcla-
ram uoluntatem conſenſerint, haud
diffidendum ſane eſt, quin celeriter è
ſordibus omnibus ſe emerſura Phi-
loſophia, & dignitatem ad quam ſpe
ctat, obtētura eſſe uideatur. Quibus
cum aut noſtra cōmunicabitur laus:

aut ſi prior noſtra ſors in hoc certamen exierit, non dubium eſt futuros, qui eandem peteſſant gloriam: à quibus non certari modò nobiſcũ, ſed uinci etiam nos æquo pati animo ſumus parati. Quippe qui non tã ſingularem noſtrã laudem, gratiamq; depoſcimus (etſi ne ea quidem, cùm bonorũ conſenſu recte factis tribuitur, à præſtantibus animis repudianda eſt) quàm bene de ciuibus noſtris promereri ſtudemus. Quod ſi in eis actionibus, quas huius optimi ac maximi principis beneficio cum aliqua autoritate tractauimus; innocentiã & fidem probauimus noſtram, noſtraq; foris acta conſiliaq; omnia nõ ad priuatos quæſtus, ſed ad beneuolentiam hominum nobis omnibus officijs conciliandam, & ad communem bonorum utilitatem ſpectauerunt: erit hæc iam intra domeſticos parietes cùm cura præſtantior, tum labor etiam multis utilior, ſi qui noſtris hortationibus uel excitati, uel firmati, nihil ſibi magis expetẽdum

in uita,

in uita, quàm uirtutem & abſtinentiam, & ſtudium ueræ ſapientiæ duxerint. Sed quoniam antequã e Philoſophia quicquam, de ipſa Philoſophia aliquid eſt dicendum: eiꝗ iuſta & debita laus tribuenda, ſine qua nihil quicquam uerè eſſe laudatum poteſt: cùm præſertim non deſint, qui petulanter in eam quacunꝗ de cauſa, etiam hoc ſtudioſius inuehantur, quod ſe putẽt ea re gratiam à uulgo & ab imperitis hominibus ituros, uiſum fuit faciundum, ut eam ederemus eius defenſionem, quam habuimus Mari, hos quidẽm aliquot abhinc annis in Iacobi Galli ſuburbano, cùm à T. Phædro affine tuo, homine (ut meminiſſe facilè poſſumus) cùm docto & copioſo, tũ parato ad laceſſendũ, reſpondendumꝗ, eſſet uituperata. Nã cũ Floralibus manè ad Gallũ in hortos, quos ille uir, ut tute ſcis, in omni uita politiſſimus, in cãpo fœnicularioſecundũ Adriani mo lẽ ſibi ferè cõmunes, & doctis omnibus parauerat, cõueniſſemus ego & F. Citrarius,

F. Citrarius, homo cùm ſtudiorũ ſimilitudine mecũ, tũ multis amicitiæ officijs cõiunctus: offendimus ibidẽ, qui paulò nos anteuenerat, cum ipſo Gallo ſermocinantem T. Phędrum. Igitur congreſsi amicè et comiter, ſalute data acceptaq́ꝫ, in hyppodromo (id erat decumano limiti nomẽ) manus cõplexi int̃ nos, ut mos amicorũ eſt, inambulare cœpimus. Tum Gallus: Quid nam hoc eſſe dicã, inquit, nobis à natura datum, ut tantũ boni in eorũ, quos familiariter diligimus, congreſſu & colloquijs experiamur eſſe, ut ſine ijs nullam integram uoluptatem ad animũ nobis accedere ſentiamus? uelut mihi nunc accidit, qui etſi hoc loco uehementer delector, quod & amœnus ſatis eſt, & ſolent unicuique ſua, in quibus quis elaborauit, ualde iucunda exiſtere: tum autem hac hodierni diei tranquilitate aëris, & nitore cœli exhilarari animos neceſſe eſt: nec ſolũ noſtros, ſed cæterarũ etiam animantium. Siquidem, ut à Vergilio ſcriptum eſt, Ver

tuntur

tuntur ſpecies animorum, et pectora motus Nunc alios, alios dum nubila uentus agebat, Concipiũt: unde etiã uolucrũ cantus, & lætitiam pecudũ, & inſolitam quandam in animis dulcedinẽ ait exoriri. Requirebam animo tamen neſcio quid: neq; tam animaduertebã primo quid illud eſſet, quod mihi abeſſe quaſi uideretur, q̃ poſteaq; uos aduenistis: ſentio nunc demum meã expletã, cumulatamq; eſſe lætitiam: ita ad ſocietatẽ illam ad quã à natura facti ſumus, quã homini ad hominem naturalis eſt applicatio, accedit iſta ex delectu amicitiæ incredibilis quædã iucunditas: quã qui non norunt, ij mihi uidentur ex alieno quodã genere homines eſſe, nõ tam mente præditi, quàm forma humana. Tum Phędrus: Recte ſanè loqueris Galle: repugnat enim hoc naturæ, ut qui ſint, quos tantum in rebus humanis bonũ non afficiat: & tamẽ experimur interdũ nõnullos, qui ita aut animo ſunt agreſtes, aut moribus ad omnem inhumanitatem

aſſueſacti,

aſſuefacti, ut non modò neminem eximiè charum habeant, ſed æquè oderint omnes, tanquam communes cunctorum inimici: Sicut de Timone illo Græce loquuntur hiſtoriæ: quem etiam ferunt, cùm haberet ſecum in cœna ſimilem ſui prorſus, & inhoſpitalitate (nõ enim mihi nunc ſuccurrit, quo alio nomine appellẽ μισανθρωπίαν) & moribus Apemantum: atque ille ea ſolitudine delectatus, dixiſſet, Pulchrum hercule noſtrum hoc conuiuium, ô Timon: reſpondiſſe, Atqui pulchrius multo futurum erat, ſi tu non adeſſes. Tales ergo nonnulli, ſed contra naturam tamen: atq; ut hoc fortaſſe rarius, ſic utinam non multa quotidie in nobis ab eadem natura optimè inchoata, conſuetudinis uitio deprauarentur. Sed de ſe, ut uolet quiſque, nos, qui liberaliter ſumus eruditi, de nobis ipſis ita ſentiamus, ut uitam ſine conuictu et conſuetudinibus amicorum nullã ducamus eſſe. Atqui Galle, inquit Citrarius, quantũ tu bonorum amicitiæ,

amicitiæ, omniq́ humanitati tribuẽdũ ſtatuas, res ipſa palàm facit, neq́ indiget id noſtra ullius oratione: nemo eſt enim qui non oculis cernat, quãti ſint ad te hominum, aliqua ingenij laude ſplendentiũ, concurſus fieri ſoliti, atq́ ut ornatiſsimorũ hoſpitũ et amicorũ quotidianis cõuentibus floreat domus tua. Quod profectò haud ita foret, niſi tu, ſi quiſq́ alius unq́, honeſtiſsimorũ, optimorũq́ amicitia, ac familiaritatibus delectarere. Verum q̧ eſt modò à Phædro noſtro dictũ, rarius uſu hoc uenire, ut quis amicitię dulcedine non tãgatur, utinã id quidẽ ita eſſet, atq́ ea una eſſet in cauſa, quæ ab eo exemplo etiã Timonis cõmemorata eſt, naturę quedã quaſi feritas, ſed latius patet hoc malũ, & quod maximũ ueuenũ fidelis beneuolentiæ eſt, ſimul ut quis nimiũ ſibi deſeruit, ita minimè fide in amicitia tuetur. At huiuſcemodi hominũ innumerabilis eſt multitudo. Quis enim eſt ſtudioſus pecunię pręſertim, et cui (ut Terẽt.

uerbis utar)nihil preter lucrũ dulce
ſit,qui ullum uel tenuem poſsit habe
re guſtum huius ex amicitia iucun=
ditatis, quam tu modo Galle narra=
bas?quiq́ ſublata utilitate,quæ con-
tineat neceſsitudinem, nõ continuò
nuncium remittat amicitiæ? Plena
horũ uita eſt, rarumq́ illud potius,
ut cui cognita appetitaq́ ſit ſimplex
illa,& uera, & per ſe, ſuaq́ ſponte a=
mabilis ex amicitia uoluptas, quę ab
amico proficiſcitur, & in eo ipſo uer
titur,nihil quærẽs extrà, nec cupiẽs,
cuius amor fructus maximus,uirtus
optima conciliatrix eſt. Sed quò ra-
rius iſtud,hoc prçſtantius. In quo ge
nere, optimo te excellere iure, Gal-
le,feciſti tu quidem omnibus iam fi-
dem. Nam,ut ille, quicunq́ hoſtem
feriet, is mihi fuerit ciuis: ſic tu ami-
cos ex una uirtutis commendatione
continuò probas;non ex eis ad te uti
referas aliquid, ſed ut ſibi illi nihil
magis promptum eſſe intelligant, q̃
te, domumq́ tuam, operam, gratiã,
pecuniam, autoritatem;quę cunctis
etiam

etiã hòc gratiora ex te accidũt, quod tua iſta incredibili humanitate condiũtur: quam tibi in uerbis quidem & uultu, omniq́; corporis motu inſculpſit ipſa natura. Sed ea factis, & in experiundo fit illuſtrior. Itaque es aſſecutus, ut non magis unum unus, quàm te diligãt uniuerſi. Quam ob rem, quod paulò antè dixiſti, nullam te integram ſine congreſſu amicorũ percipere uoluptatem, & de eo tibi aſſentior; & (ut pro cæteris etiam loquar) experimur idem in nobis omnes erga te aliquanto etiam uberius. Sumus enim hac tua fruenda humanitate, hoc ingenio, his optimis & ſuauiſsimis moribus, in mutua noſtra beneuolentia propemodũ beati. Tum Gallus: Gaudeo ſane Citrari, inquit, præclaro hoc, quod mihi tribuiſti, uel iudicij tui, uel, ut ego potius interpretor, amoris teſtimonio. Atqui, inqt Phædrus, Galle, utrũq; eſt, & iudicium, & amor. Sed quãdo de amicitia aliquid omnes, quid Sadoletus? Et ego: Quid inquam Phæ

 dre?

dre: niſi me uehemẽter hoc ueſtro ſer mone eſſe delectatũ: ac ſentire quidẽ uobiſcũ unà, nihil eſſe in uita præſtabilius amicitia: quæq; in Gallo noſtro, laudibus extulit. Citrarius, uiſſima cõfiteri. Sed quod unũ uel præcipuũ ab eo uideo ꝑtermiſſũ, idẽ me referri, & cõmemorari debere puto: nõ enim natura ſolùm, et propenſione animi quadã, aut fortuito euentu lapſus in hãc rationem Gallus, ad liberalitatem, & beneficentiam, ueritatemq; amicitiæ totum ſe contulit: ſed aliquando magis accepit à Philoſophia, ut iſta eadem recto iudicio & conſtanter ageret, in quo quidẽ uno eſt poſita uirtus. Nouit enim quẽadmodũ de ſtatuis Dædaleis à doctiſsimis proditum eſt, eas cùm præclaro opere prefectæ & eximiæ pulchritudinis exiſterẽt, niſi tamen arctiſsimis uinculis, conſtringenentur, dilabi facilè, & perfugere ſolitas, quòd earũ incerta eſſet, & lubrica poſſeſsio: ſic optimũ quenq; morem, niſi ratione & præceptis Philoſophiæ fuerit con firmatus,

firmatus, ſtabilē ſua ſponte non eſſe. Eſt igit̄ ad hęc philoſophię ſtudia, in quibus à prima adoleſcētia admodū ſe exercuit, longo interuallo nūc re-uerſus, & quidem animo maiore q̄ uos fortaſſe ſuſpicamini: q̄ ego noſſe poſſū ꝓpter quotidianū uſum, quo cū eo aſſiduus ſum. Quanq̄ illi qui-dē haud ita multū ad legēdū otij à forenſi opera relinquitur, ſed eſt totus in quęrēdo et percontādo: me quidē quem in his literis maxime uidet occupatum, audiēdi aliquid uidelicet, & diſputandi cauſa, ſæpiſſime ut la-ceſſat: Quod ego pergratè accipio, uel quòd obſequor ſtudijs optimi & amiciſſimi uiri, uel quòd illius acuto, & acri ingenio meū quoq; ad diſcendū excitatur ingeniū. Hoc loco Phædrus, ut erat natura uehementior, & Philoſophiæ multis iam ſignis habebatur infenſus: Præclarā mehercule laudē, et in primis cōmemorandā, qua te iſti afficere conātur Galle, cùm te tanq̄ puerū nobilē ſub pædagogo, ſic à Philoſopho aliquo

 admonitum,

admonitum, nihil niſi ex præſcripto recte agere poſſe uolunt: ac ne quid deſit, manum etiam ſub ferula, ut dicitur: indignũ illud quoq; quod uirtutem in una ſtatuunt Philoſophia: Quo quid dici impudentius poteſt? quando enim Philoſophiæ quidquã omnino fuit cũ uirtute, cũ amplitudine, cum dignitate commercij: aut quos ex eius ipſius ſinu prodire conſpicimus ad ullam rem gerendam aptos, quæ quidem digna ſit uiro? Imò uerò tu, inquit, eſto nobis Galle & naturali uirtute, & tuo ipſius conſilio inſtitutoq; talis, qualẽ te eſſe cernimus omnibus eis animi dotibus inſtructũ, quæ magno homini cõueniunt. Sitq; tua iſta propria, & peculiaris laus, nõ Philoſophiæ quã ſummus ille uir tuus nouus hoſpes & amicus P. Bembus, cuius tanta fertur apud omnes uirtutis & literarũ gloria, iure ſane in te contuliſſe mihi uiſus eſt, cum ita diceret, urbẽ hanc tot antiquorũ monumẽtis, tanta etiam nunc horũ temporũ magnificẽtia or natam:

natā: ſibi tamen maiorē atq; ornatiorē fuiſſe uiſā, quod te in ea ciuē eſſe contigiſſet. Hoc de te ille ita ut ſentiret nō tu, opinor, promiſſa barba es aſſecutus, nec tunica pulla, nec trito pallio, nec inepta, & intempeſtiua loquacitate, ſermonibus per omnes circulos conſerendis: longe em̄ hæc aliena graui uiro, Philoſophis uero quotidiana ſunt: ſed liberalitate & prudentia, & quod quū te multi fortuna & copijs in hac urbe antecedant, nemo eſt tamen, qui ad bene de probis & doctis hominibus merēdū te uno ſit propēſior: Nā quod ad Sadoletū attinet, quem ego & amo mediusfidius, & florentē eſſe cupio, nō poſſū non moleſtia affici, quū illum uideo ſubducentē ſe amicorū & familiariū cœtibus, in hac ſqualente & ſordida Philoſophia tabernaculū pene uitæ ſuæ collocaſſe, doleoq; meā tā parui apud eum fuiſſe autoritatē, ut ipſum ab hoc errore nequiuerim adhuc ad conſilia grauiora retrahere. At ꝙ ad me conuerſus, In mentē uenit mihi,

inquit, ea proferre aduerſus te, quæ in Euripide Zethus ad Amphionē fratrē protulit, quorū equidē ſententiam, nō numerum recordor: Negligis ô frater, inquit, ea quæ te oportet diligere, naturāq; animi tuapte ſponte nobilē, puerili quadā cōcinnas forma: & neque in iudicijs commode loqui ſtudium tibi eſt, inq; ijs cernere quod æquū idoneumq; ſit: neq; alios iuuare conſilio potes tuo. Ac de tuo quidē, inquit, ingenio quid ſentiam, mihi ipſe conſcius ſum: quantum aūt te diligam, tu optimus es teſtis. Sed quod tibi ſoli ſeorſum ſæpe dixi, in quo fruſtra à me conſumpta opera eſt, idē nunc his audientibus ut dicā, moneamq; te aliquot annis minorē natu audacter, idem amor me cogit. Vereor eñ, uel potius formido certò, ne iſtā tuā ingenij animiq; indolē, qua te ad grauiores res tractādas idoneum ſemper iudicaui, hoc Philoſophiæ ſtudio penitus corrumpas: in quo ſi eſſet ipſo aliqua fortaſſe liberalis oblectatio: quæ tamen in tanta

uanitate illius ſcientiæ eſſe qui po-
teſt: tibi tamẽ uidendum arbitrarer
in ciuitate tam occupata, in qua ho-
nores & præmia nõ otioſis, ſed indu
ſtrijs hominibus proponuntur, qui
factum tuũ probari illis poſſet, qui
ſcirent de uita cuiuſq; & inſtitutis iu
dicare. Inquiritur enim in uitã tuã,
mihi crede, curioſius quàm tu fortaſſe
exiſtimes: Nam cùm à primo com-
moſſes animos multorũ expectatio-
ne quadam, nunc te uelut inertia de-
ſediſſe, non poſſunt nõ mirari homi-
nes, idq; nõ reprehendere: cùm in po
pularibus ſtudijs, & his quę frequen
tiæ ac celebritatis ſunt, ſiue in foro
malis, ſiue ad principes uiros, uindi-
care te in aliquam laudem poſsis: illa
tamen quæ ſilẽtij, et ſolitudinis ſunt,
malle perſequi. Quorũ profecto opi
nioni & iudicijs inſeruias oportet, ſi
aliquo numero eſſe optas, aut ſi eam
uerè aſſequi uis, quã tibi falſò pmit-
tit Philoſophia, ſapientiã: neue te in
tenebris abdas, cũ facile in hominũ
oculis queas, & in luce conſiſtere.

Quæ cùm ille dixiſſet aliquãto com motius, quòd eum ad hanc rationem concitationemq́; dicendi & uoce, & motu corporis, & animo flagrante, ac ſubitò natura formauerat, ſummumq́; illi præterea ingenium, ſummum in pronuntiando leporem addiderat. Citrarius, O amœnũ diem hunc, inquit, & mihi diu, ac Gallo deſideratam opportunitatem, aliquando te Phædre in uniuerſam inuehentem Philoſophiam audiendi. Equidem interfui ſępe, idq́; locis pluribus cùm carperes Philoſophiam, in quo ego potiſſimũ attendere ſolitus ſum acumen ingenij tui, & facetiſſimis dictis delectari. Sed de ea tota quid haberes dicere, percontandi ex te, cùm id maxime auerem, ante hunc diem facultas non eſt data: quam nũc oblatam libentiſſimis nobis, noſtra fuerit culpa, ſi amiſerimus; aut ſi non ex te omnia, quæ uolumus de tuo in Philoſophiam animo ac iudicio, audiendo fuerimus conſecuti. Imò, inquit, Gallus, & hic locus maxime aptus

eſt,

eſt, & tempus idoneum; nec eſt quicquam, in quo iucundius hunc conſumamus diem: quam ob rem da hoc nobis Phædre, ut te de uniuerſa Philoſophia quid ſentias audiamus. Audietis, inquit, ſed hac conditione, ſi omnibus ſum facturus gratum. Hic ego arridens, Mihi ne, inquam, eſſe gratum poteſt, in tantum diſcrimen uenire Philoſophiã? Quid ita, inquit Citrarius, non tu eam dicere es ſolitus ueritatis patrocinio ſat tutã eſſe? Si quidem, inquam, ueritate, non eloquentia cauſa pendetur. Pendetur, inquit Gallus, & bono es animo: nõ enim hic imperitæ multitudinis concio, ad quam in inuidiam facile, & in ſuſpicionem Philoſophia adducitur. Sed auium concentus, & florum tanta hęc uarietas ac copia, huius orationi coronã factura eſt. Atqui, inquã, Galle, huius orationi (ſiquidem ea in uituperanda Philoſophia futura eſt) auium iſte concentus obſtrepat ſane uelim. An non tu hoſce flores, qui tantam nunc odorum amœnita-

F. Citrarius, homo cùm ſtudiorũ ſi-
militudine mecũ, tũ multis amicitiæ
officijs cõiunctus: offendimus ibidẽ,
qui paulò nos anteuenerat, cum ipſo
Gallo ſermocinantem T. Phędrum.
Igitur congreſsi amicè et comiter, ſa
lute data acceptaq́ꝫ, in hyppodromo
(id erat decumano limiti nomẽ) ma-
nus cõplexi inť nos, ut mos amicorũ
eſt, inambulare cœpimus. Tum Gal
lus: Quid nam hoc eſſe dicã, inquit,
nobis à natura datum, ut tantũ boni
in eorũ, quos familiariter diligimus,
congreſſu & colloquijs experiamur
eſſe, ut ſine ijs nullam integram uolu
ptatem ad animũ nobis accedere ſen
tiamus? uelut mihi nunc accidit, qui
etſi hoc loco uehementer delector,
quod & amœnus ſatis eſt, & ſolent
unicuique ſua, in quibus quis elabo-
rauit, ualde iucunda exiſtere: tum au
tem hac hodierni diei tranquilitate
aëris, & nitore cœli exhilarari ani-
mos neceſſe eſt: nec ſolũ noſtros, ſed
cæterarũ etiam animantiũ. Siqui-
dem, ut à Vergilio ſcriptum eſt, Ver

tuntur ſpecies animorum,et pectora motus Nunc alios,alios dum nubila uentus agebat,Concipiũt: unde etiã uolucrũ cantus, & lætitiampecudũ, & inſolitam quandam in animis dulcedinẽ ait exoriri. Requirebam animo tamen neſcio quid: neq; tam animaduertebã primo quid illud eſſet, quod mihi abeſſe quaſi uideretur, ꝗ poſteaq; uos adueniſtis: ſentio nunc demum meã expletã, cumulatamq; eſſe lætitiam:ita ad ſocietatẽ illam ad quã à natura facti ſumus, quã homini ad hominem naturalis eſt applicatio, accedit iſta ex delectu amicitiæ incredibilis quædã iucunditas: quã qui non norunt, ij mihi uidentur ex alieno quodã genere homines eſſe, nõ tam mente præditi, quam forma humana. Tum Phędrus: Recte ſanè loqueris Galle: repugnat enim hoc naturæ, ut qui ſint, quos tantum in rebus humanis bonũ non afficiat: & tamẽ experimur interdũ nõnullos, qui ita aut animo ſunt agreſtes, aut moribus ad omnem inhumanitatem aſſuefacti,

aſſuefacti, ut non modò neminem eximiè charum habeant, ſed æquè oderint omnes, tanquam communes cunctorum inimici: Sicut de Timone illo Græce loquuntur hiſtoriæ: quem etiam ferunt, cùm haberet ſecum in cœna ſimilem ſui prorſus, & inhoſpitalitate (nõ enim mihi nunc ſuccurrit, quo alio nomine appellẽ μισανθρωπίαν) & moribus Apemantum: atque ille ea ſolitudine delectatus, dixiſſet, Pulchrum hercule noſtrum hoc conuiuium, ô Timon: reſpondiſſe, Atqui pulchrius multo futurum erat, ſi tu non adeſſes. Tales ergo nonnulli, ſed contra naturam tamen: atq; ut hoc fortaſſe rarius, ſic utinam non multa quotidie in nobis ab eadem natura optime inchoata, conſuetudinis uitio deprauarentur. Sed de ſe, ut uolet quiſque, nos, qui liberaliter ſumus eruditi, de nobis ipſis ita ſentiamus, ut uitam ſine conuictu et conſuetudinibus amicorum nullã ducamus eſſe. Atqui Galle, inquit Citrarius, quantũ tu bonorum

amicitiæ,

amicitiæ, omniq́ humanitati tribuẽdũ ſtatuas, res ipſa palàm facit, neq́ indiget id noſtra ullius oratione: nemo eſt enim qui non oculis cernat, quãti ſint ad te hominum, aliqua ingenij laude ſplendentiũ, concurſus fieri ſoliti, atq́ ut ornatiſsimorũ hoſpitũ et amicorũ quotidianis cõuentibus floreat domus tua. Quod profectò haud ita foret, niſi tu, ſi quiſq́ alius unq́, honeſtiſsimorũ, optimorũq́ amicitia, ac familiaritatibus delectarere. Verum q̃ eſt modò à Phædro noſtro dictũ, rarius uſu hoc uenire, ut quis amicitię dulcedine non tãgatur, utinã id quidẽ ita eſſet, atq́ ea una eſſet in cauſa, quæ ab eo exemplo etiã Timonis cõmemorata eſt, naturę quedã quaſi feritas, ſed latius patet hoc malũ, & quod maximũ uenenũ fidelis beneuolentiæ eſt, ſimul ut quis nimiũ ſibi deſeruit, ita minimè fide in amicitia tuetur. At huiuſcemodi hominũ innumerabilis eſt multitudo. Quis enim eſt ſtudioſus pecunię pręſertim, et cui (ut Terẽt.

uerbis utar) nihil preter lucrũ dulce ſit, qui ullum uel tenuem poſsit habere guſtum huius ex amicitia iucunditatis, quam tu modo Galle narrabas? quiq; ſublata utilitate, quæ contineat neceſsitudinem, nõ continuò nuncium remittat amicitiæ? Plena horũ uita eſt, rarumq; illud potius, ut cui cognita appetitaq; ſit ſimplex illa, & uera, & per ſe, ſuaq; ſponte amabilis ex amicitia uoluptas, quę ab amico proficiſcitur, & in eo ipſo uertitur, nihil quærẽs extrà, nec cupiẽs, cuius amor fructus maximus, uirtus optima conciliatrix eſt. Sed quò rarius iſtud, hoc preſtantius. In quo genere, optimo te excellere iure, Galle, feciſti tu quidem omnibus iam fidem. Nam, ut ille, quicunq; hoſtem feriet, is mihi fuerit ciuis: ſic tu amicos ex una uirtutis commendatione continuò probas; non ex eis ad te uti referas aliquid, ſed ut ſibi, illi nihil magis promptum eſſe intelligant, quàm te, domumq; tuam, operam, gratiã, pecuniam, autoritatem; quę cunctis

etiam

etiã hoc gratiora ex te accidũt, quod tua iſta incredibili humanitate condiũtur: quam tibi in uerbis quidem & uultu, omniq; corporis motu inſculpſit ipſa natura. Sed ea factis, & in experiundo fit illuſtrior. Itaque es aſſecutus, ut non magis unum unus, quàm te diligãt uniuerſi. Quam ob rem, quod paulò antè dixiſti, nullam te integram ſine congreſſu amicorũ percipere uoluptatem, & de eo tibi aſſentior; & (ut pro cæteris etiam loquar) experimur idem in nobis omnes erga te aliquanto etiam uberius. Sumus enim hac tua fruenda humanitate, hoc ingenio, his optimis & ſuauiſsimis moribus, in mutua noſtra beneuolentia propemodũ beati. Tum Gallus: Gaudeo ſane Citrari, inquit, præclaro hoc, quod mihi tribuiſti, uel iudicij tui, uel, ut ego potius interpretor, amoris teſtimonio. Atqui, inqt Phædrus, Galle, utrũq; eſt, & iudicium, & amor. Sed quãdo de amicitia aliquid omnes, quid Sadoletus? Et ego: Quid inquam Phæ

firmatus, ſtabilē ſua ſponte non eſſe. Eſt igit̃ ad hęc philoſophię ſtudia, in quibus à prima adoleſcētia admodũ ſe exercuit, longo interuallo nũc reuerſus, & quidem animo maiore quã uos fortaſſe ſuſpicamini: quod ego noſſe poſſũ, ꝓpter quotidianũ uſum, quo cũ eo aſsiduus ſum. Quanquã illi quidē haud ita multũ ad legēdũ otij à forenſi opera relinquitur, ſed eſt totus in quęrēdo et percontādo: me quidē quem in his literis maxime uidet occupatum, audiēdi aliquid uidelicet, & diſputandi cauſa, ſæpiſſime ut laceſſat: Quod ego pergratè accipio, uel quòd obſequor ſtudijs optimi & amiciſſimi uiri, uel quòd illius acuto, & acri ingenio meũ quoque ad diſcendũ excitatur ingeniũ. Hoc loco Phædrus, ut erat natura uehementior, & Philoſophiæ multis iam ſignis habebatur infenſus: Præclarã mehercule laudē, et in primis cõmemorandã, qua te iſti afficere conãtur Galle, cùm te tanquã puerũ nobilē ſub pædagogo, ſic à Philoſopho aliquo

natā: ſibi tamen maiorē atq; ornatiorē fuiſſe uiſā, quod te in ea ciuē eſſe contigiſſet. Hoc de te ille ita ut ſentiret nō tu, opinor, promiſſa barba es aſſecutus, nec tunica pulla, nec trito pallio, nec inepta, & intempeſtiua loquacitate, ſermonibus per omnes circulos conſerendis: longe eñ hæc aliena graui uiro, Philoſophis uero quotidiana ſunt: ſed liberalitate & prudentia, & quod quū te multi fortuna & copijs in hac urbe antecedant, nemo eſt tamen, qui ad bene de probis & doctis hominibus merēdū te uno ſit propēſior: Nā quod ad Sadoletū attinet, quem ego & amo mediusfidius, & florentē eſſe cupio, nō poſsū non moleſtia affici, quū illum uideo ſubducentē ſe amicorū & familiariū cœtibus, in hac ſqualente & ſordida Philoſophia tabernaculū pene uitæ ſuæ collocaſſe, doleoq; meā tā parui apud eum fuiſſe autoritatē, ut ipſum ab hoc errore nequiuerim adhuc ad conſilia grauiora retrahere. At ꝑ ad me conuerſus, In mentē uenit mihi,

inquit, ea proferre aduerſus te, quæ in Euripide Zethus ad Amphionẽ fratrẽ protulit, quorũ equidẽ ſententiam, nõ numerum recordor: Negligis ô frater, inquit, ea quæ te oportet diligere, naturãq; animi tuapte ſponte nobilẽ, puerili quadã cõcinnas forma: & neque in iudicijs commode loqui ſtudium tibi eſt, inq; ijs cernere quod æquũ idoneumq; ſit: neq; alios iuuare conſilio potes tuo. Ac de tuo quidẽ, inquit, ingenio quid ſentiam, mihi ipſe conſcius ſum: quantùm aũt te diligam, tu optimus es teſtis. Sed quod tibi ſoli ſcorſum ſæpe dixi, in quo fruſtra à me conſumpta opera eſt, idẽ nunc his audientibus ut dicã, moneamq; te aliquot annis minorẽ natu audacter, idem amor me cogit. Vereor em̃, uel potius formido certò, ne iſtã tuã ingenij animiq; indolẽ, qua te ad grauiores res tractãdas idoneum ſemper iudicaui, hoc Philoſophiæ ſtudio penitus corrumpas: in quo ſi eſſet ipſo aliqua fortaſſe liberalis oblectatio: quæ tamen in tanta

uanitate

uanitate illius ſcientiæ eſſe quì poteſt? tibi tamẽ uidendum arbitrarer in ciuitate tam occupata, in qua honores & præmia nõ otioſis, ſed induſtrijs hominibus proponuntur, quî factum tuũ probari illis poſſet, qui ſcirent de uita cuiuſq; & inſtitutis iudicare. Inquiritur enim in uitã tuã, mihi crede, curioſius q̃ tu fortaſſe exiſtimes: Nam cùm à primo commoſſes animos multorũ expectatione quadam, nunc te uelut inertia deſediſſe, non poſſunt nõ mirari homines, idq; nõ reprehendere: cùm in popularibus ſtudijs, & his quę frequentiæ ac celebritatis ſunt, ſiue in foro malis, ſiue ad principes uiros, uindicare te in aliquam laudem poſsis: illa tamen quæ ſilẽtij, et ſolitudinis ſunt, malle perſequi. Quorũ profecto opinioni & iudicijs inſeruias oportet, ſi aliquo numero eſſe optas, aut ſi eam uerè aſſequi uis, quã tibi falſò ꝓmittit Philoſophia, ſapientiã: neue te in tenebris abdas, cũ facile in hominũ oculis queas, & in luce conſiſtere.

Quæ cùm ille dixiſſet aliquãto com motius, quòd eum ad hanc rationem concitationemq́ dicendi & uoce, & motu corporis, & animo flagrante, ac ſubitò natura formauerat, ſummumq́ illi præterea ingenium, ſummum in pronuntiando leporem addiderat. Citrarius, O amœnũ diem hunc, inquit, & mihi diu, ac Gallo deſideratam opportunitatem, aliquando te Phædre in uniuerſam inuehentem Philoſophiam audiendi? Equidem interfui ſæpe, idq́ locis pluribus cùm carperes Philoſophiam, in quo ego potiſſimũ attendere ſolitus ſum acumen ingenij tui, & facetiſſimis dictis delectari. Sed de ea tota quid haberes dicere, percontandi ex te, cùm id maxime auerem, ante hunc diem facultas non eſt data: quam nũc oblatam libentiſſimis nobis, noſtra fuerit culpa, ſi amiſerimus; aut ſi non ex te omnia, quæ uolumus de tuo in Philoſophiam animo ac iudicio, audiendo fuerimus conſecuti. Imò, inquit, Gallus, & hic locus maximè aptus

eſt,

eſt, & tempus idoneum: nec eſt quicquam, in quo iucundius hunc conſumamus diem: quam ob rem da hoc nobis Phædre, ut te de uniuerſa Philoſophia quid ſentias audiamus. Audietis, inquit, ſed hac conditione, ſi omnibus ſum facturus gratum. Hic ego arridens, Mihi ne, inquam, eſſe gratum poteſt, in tantum diſcrimen uenire Philoſophiã? Quid ita, inquit Citrarius, non tu eam dicere es ſolitus ueritatis patrocinio ſat tutã eſſe? Si quidem, inquam, ueritate, non eloquentia cauſa pendetur. Pendetur, inquit Gallus, & bono es animo: nõ enim hic imperitæ multitudinis concio, ad quam in inuidiam facile, & in ſuſpicionem Philoſophia adducitur. Sed auium concentus, & florum tanta hęc uarietas ac copia, huius orationi coronã factura eſt. Atqui, inquã, Galle, huius orationi (ſiquidem ea in uituperanda Philoſophia futura eſt) auium iſte concentus obſtrepat ſane uelim. An non tu hoſce flores, qui tantam nunc odorum amœnita-

tem naribus noſtris aſpirant, et mox auritos, & poſtea etiã uocaliores fore putas, quàm eſſe poſſet ipſa illa, de qua nunc dicebas imperitæ multitudinis concio? Sanè, inquit, hoc eſt, quod ego gaudeo: intelligo eñ præter uoluptatem, quam audiendo percepturus ſum, huius mei præterea ſuburbani precio per multum acceſſurum eſſe, quòd quidem diſputatione ueſtra hac celebratius multo futurum eſt, quàm aut peregrinis arboribus, quæ in hunc ipſum locum undique accerſitæ ſunt: aut nobilitate eius picturæ, qua eſt ſuperior porticus exornata. Quintu, inquit Phædrus me intuens, ueritatem ſinito uenire in certamen, tu met ſilentium teneto. Age, age, inquam Phædre (uideo enim te in procinctu eſſe, pugnæ auidum) illud moneo, parcius: ne ſi uno hoc prælio penitus Philoſophiã obtriueris, non habeas deinde quicquam, in quod ita ſtudioſe, & libenter inuehare. Nullum eſt periculum de fore, inquit ridens, dum quidem
tu

tu extiteris, qui ab ea auelli nulla ratione potes. Quod quum dixiſſet, omnes ad audiendum animos ereximus. Tum ille, Videtur mihi, inquit, priſci illi ueteres, qui primi ſemetipſos ſapientes, & artē eam, quam profitebantur, ſapientiam appellauerūt, aut callido conſilio quæſiſſe in uulgus celebritatē: aut errore quodam puerili decepti fuiſſe. Etenim ſi cùm ſcirent, & intelligerent ipſi, inanem eam eſſe, quam habebāt in manibus, ſcientiam: appellatione tamen præclara illam adducere in honorem ſtuduerunt, cæteriſque perſuadere id, quod ipſis neutiquam de ea erat perſuaſum. Aſtuta illorum ratio, & callidum imprimis conſilium fuit: ſed ita, ut ſæculi illius ingenijs nihil iudicarent eſſe rudius. Sin autem & eandem ipſi fidem, habuerunt de ſapientiæ diſciplina, & cæteris facere conati ſunt, puerorum mihi morem uidentur fuiſſe imitati: ut enim puer imagunculas ſæpe nacti ligneolas, aut è cera: easque charius amplexi,

ueſte atq; auro exornāt, Deorumq;, quorum libitum fuerit, imponūt eis nomina, demumq; longius prouecti credulitate puerili, quaſi rem ſeriam agentes, rei ludicræ diuinos honores tribuunt: Sic Philoſophi iſti ueſtri (me autē intuebatur loquens) quos ſolos penes eſt ſapientia, quiq; eam ipſam ab ſeſe unis peti atq; addiſci uolunt, tantò pueris leuiores, quantò illis ætas ludū ſuum concedit, his alienum ſtultitia: inane diſciplinæ ſimulachrū ſplendidiſſimi nominis appellatione honeſtauerunt, quo non poſſunt quidem non allici aliquando & inuitari nonnulli, ut inſiſtāt aliquantum, cupiātq; interiora cognoſcere. Quòd enim ſapiētia nec in cœlo, nec in terra quicquā eſt præſtantius, idcirco ipſo nomine commoti, accenduntur ad cupiditatem aliquam cognoſcendi: Sed ſi qui lautiore paulò ingenio ingreſſi fuerint, maturè ut abalienentur. Ex quo illud Neoptolemi apud Ennium, philoſophandum ſibi eſſe, ſed paucis: nā omnino,
haud

haud placere. Credo homini milita-
ri ex bellica uirtute uceriorem medi-
tanti gloriam, conueniens fuiſſe ui-
ſum, quid iſti profiterentur, agnoſce
re: quæ uerò minutius ſuperſtitio-
ſiusq; tractarent, et in quibus fruſtra
contererent ætatem, ea ceu ueræ ſa-
pientiæ repugnantia, penitus deſpi-
cere atq; contemnere. Et nimirũ ma
gna, eximiaq; profeſſi, in minimis ſe
rè uerſantur. Quòd ſi ſplendore nó-
minis remoto, rem ipſam introrſum
magis aſpexeris, totamq; iſtam artẽ,
quæ ſe magiſtrã tradendæ ſapientiæ
profitetur, in manus ſumptã diligen
ter expenderis: non tu in ea quidem
ſapientiã ullam, quę ſit uerè et ſolidè
ſapiẽtia, ſed imaginẽ potius inanem
quandam deprehenderis ſapientiæ,
ſine corpore, ſine mente, ipſius illius
ſapientiæ operibus atq; muneribus
ſola uoce reſonantem. Nam cum re-
rum gerendarũ, ſit ſapientia, imperij
gubernãdi, dignitatis ac potẽtię ſibi
cõparandæ, Philoſophia pro his ma
ximis, maximeq; expetendis rebus,
tanquam

tanquam immunitatem laborum in beneficij loco illi tribuens, eã in uerbis penſitandis, & argumentorum concluſiunculis arte aſtringendis, rebuſq; ijs, quę nihil pertineãt ad nos, accuratius indagendis, feſtiuo opere occupat: ut ſuarum uirium & grauitatis oblita, à cœtu hominum, atq; ab regendis ciuitatibus, ad ſolitudinẽ, inertiãq; traducatur. Atq; huic arti tamen ſapientiæ nomen eſt datum: in quo primum iſtorum eſt arrogantia reprehendẽda. Quis enim illis hoc conceſsit? aut quo nam iure fuit ab ipſis uſurpatũ, ut artẽ ſuam, cuiuſmodi ea cunq; ſit (nondum enim de hoc diſputo, poſt uidero) in ipſo ſtatim ortu atq; initio, inſcriberent Sapientiam? cumq; necdum plane perſpectum, cognitumq; eſſet, hominum'ne uitæ utilis futura eſſet illa, nec'ne eſſet, tamen tanquam ratio abſq; ea recte, ordineq; uiuendi cunctorũ iam confeſsione conſtare non poſſet, ita ſummum rerum humanarum titulũ illi præſcriberent? Verũ

fuerit

fuerit hoc uitium ſuperiorum illorum, & qui ſeptem dicti ſunt, quos tradunt cunctos in Græcia Delphis primum conueniſſe, Athenis prætore Damaſo: iterũ deinde Corinthi: cùm eos Periander Corinthiorum tyrannus hoſpitio accepiſſet, circiter quadrageſimamquintam olympiadem, quo tempore Romæ L. Tarquinius Priſcus regnum obtinebat. Atqui hi iſti ipſi, ſi ſua ſententia ſe appellauerunt ſapientes, indulſerunt ſibi profectò, ꝗ̃ par erat, uehementius. Sin autem populorũ ſuffragio uocati ſunt, habent egregiam ſui cognominis, et quo iure glorientur, autoritatem. Siquidem ad imperitos et ſtultos delatum fuit de ſapientibus iudiciũ, & ſi uideo non iſtos ſolum, ſed alios complureis, ſi fama & opinione uulgi ſapientia cenſeatur, nulla illuſtri de cauſa paſsim habitos ſapienteis: ſimul ut quis enim in illa rude indoctaq́ uetuſtate uel dixerat aliquid, uel egerat cõcinnius, ita aſcribebatur ad numerũ, & nomẽ ſapiẽtis.

Quo

Quo ex genere maternus auus Theſei Pittheus, quum uerſibus pangendis ſententiolas quaſdam complecteretur, in primis iudicatus eſt ſapiẽs. Lycurgus uerò eundẽ nominis honorẽ iuſtius eſt aſſecutus, quòd enim confuſam & perturbatam, ac (ut Herodoti utamur uerbo) κακονομωτάτην Lacedæmoniorum Rempublicam legibus latis conſtituerat, ferendisq́ laboribus, & periculis alacriter adeundis, ciues ad fortitudinẽ, & ad omnia belli munia apprimè erudierat, comparata ſibi autoritate & gloria, ſapiẽs meritò exiſtimatus eſt. Sed ut ab hoc magno ſanè uiro abeamus, quid cuiquam eſſe tunc potuit in ſapientię nomine glorioſum, cùm Homerus, cuius dicta pro decretis habẽda ſunt, etiam fabris attribuat ſapientiam? Ac ne quis illorũ ſeptem, quos & nos nimium iam ſæpe in medium adducimus, & negat Dicearchus autor haud ignobilis, nec Philoſophos nec ſapientes fuiſſe, ullam alio ex genere putet fuiſſe ſapientiam, quàm eam,
quæ

quæ dicta in Pittheo: Primùm poëtæ pleriq;, iiq; adeò perfrigidi: deinde argutulis quibuſdam, ut ſibi uidebantur, ſententijs, multitudinis plauſum captantes. Quid enim Chiloni Lacedæmonio (ut de eo potiſsimũ loquar) triáne dicta ſapientiæ laudẽ afferre debuerunt? At ea in foribus tẽpli Delphici ſunt inſcripta. Quid tum? nõ enim qui inſcripſit, aut qui inſculpſit (opinor) faber ſapientior fuit? Ne quid nimis: rectè hoc quidem, & ſibi ille admodum conſtitit: pauciſsima enim locutus, multam ſibi parauit ſapientiæ famã. Sed quid illis ſapientibus fiet, qui ſuis libris, atq; ſcriptis omnia referſerunt? Noſſe uerò ſe quenq;, quam uim habeat, ſi ab hoc communi atq; uſitato ſenſu abieris, ipſo illo interprete qui edidit, cenſeo eſſe quærendum. Nam illud quidem inopinatum ac nouum, et neſcio unde erutum: nemini enim unquam in mentẽ uenire potuiſſet, Comitem eſſe æris alieni miſeriam: Quid? hiccine ſolus uadimonium de

ſerere coactus fuerat, eiúsque bona proſcripta fuerãt: Sed quoniã in ſingulis nõ eſt immorandum, & unius tamen exemplo cæteri noti eſſe poſſunt, ratio concludenda eſt, Sapientium nomen, ab ipſis uſurpatum, plenum arrogantiæ eſſe: à populo delatum, inanitatis. Correxit errorẽ hũc ueterũ Pythagoras, imminuitq; inuidiã nominis, quòd primus Philoſophiam pro ſapientia inſtituit apellari. Is in illa ſua peregrinatione, in qua, ut de Vlyſſe ſcribit Homerus, multarũ gentium mores & inſtituta perſpeculatus fuerat, cùm peragraret in reditu ueterem Græciam, atq; illo itinerere ueniſſet Sycionẽ, ibiq; cum Leonte Sicyoniorum tyranno congreſſus, interrogatus ab eo eſſet, quẽ nam ipſum ſe profiteretur, num ſapientẽ: reſpondit ſoli Deo congruere nomen ſapientis: ſe uero Philoſophũ eſſe: hoc eſt, ſtudioſum, & cupidum ſapientiæ. Graue reſponſum et dignũ moderatiſsimo uiro, nihil ſibi arrogauit, nihil ſublatius de ſe locu-

tus eſt, tantùm eam cupiditatem, quæ cuncto generi humano è natura inſita eſt, ſapientię adipiſcendę, in ſe aliquando fortaſsis acriorem ineſſe ſignificauit. Plena igitur grauitatis oratio: neq; ipſe nõ idoneus, cuius autoritatem cæteri ſequerentur, ſi in eadem porrò ſententia conſtitiſſet, neq; diſſenſiſſet poſtea à ſeſe, cæteriſq; rebus non iam ſe moderatum & grauem, ſed flagrantem ambitione importuna prębuiſſet. Nam qđ illa iactatio popularis et Græciæ omnibus in locis, ubi cœtus celebrari erant ſoliti, ſui oſtentatio? Quid nudatio femoris aurei Olympiæ, quum ad ludos ſolennis cuncta adeſſet Græcia? aliud in eo indicant, quàm ſpecioſum illud ſapientis nomen, quod ipſe paulò antè ab hominibus cunctis abiudicarat, et Deo uni tribuendum cenſuerat, quum cõnaretur apparere ipſe Deus, uſurpare illum confeſsione reliquorum, & ad ſemetipſum uertere, tanquam præſtigijs quibuſdam, uoluiſſe?

Quanquam femoris quidẽ aurei illa nudatio, ignarum forſitan uulgus com mouere: ijs, qui hominem nouerã t, memineranteq; ex aurificina paulò antè ad Philoſophiam egreſſum, mi raculo eſſe non potuit. Quid quòd ad Italiam ſe contulit & Metaponti ſedem, ac domicilium ſtatuit fortunarum ſuarum? qui conueniebat homini Samio, præſertim cùm plus honoris, quàm ſatis opus eſſet in ger mana Græcia paribus illius haberetur? Sed, opinor, occupatis ibidem populorum animis opinione, & fama ſuperiorum ſapientium, cùm eũ, quantum aſſequi poſſet, celebritatis pœniteret: nouas illum ſedes, & uberiorem ſegetẽ ſuæ propagandæ laudis, uacuis etiam tum à Philoſophia harum gentium animis, in Italia quę ſiuiſſe. Quibus in locis diſciplinæ ſectam eam condidit, quæ Pitagorica eſt appellata, magiſtra illa taciturnitatis. Hoc confiterer commodè, ſi ut in addiſcendo ſic etiam ad docendũ adhibitum ſilẽtiũ fuiſſet; huius enim moleſtiæ

moleſtiæ parte iam careremus. Porrò apud eum mos iſte tenebatur, ut qui ſe huic dicaſſent diſciplinæ, obmuteſcerent integrum quinquennium, docerenturq́ primò communia quædam, uelut elementa artis: deinde ſecretiora & quaſi myſtica: neq́ id à magiſtro: ille enim abditus & ſemotus ab oculis, nemine ſe communicabat: ſed reſponſis, & tanquã oraculis erudiebat iuuentutẽ, donec tãdẽ perſpecto ingenio, moribusq́ probatis, qui iudicati fuerant digni, admittebantur ad conſpectum magiſtri, commerciũq́ ſermonis. Quod qui aſſequebantur, confeſtim domũ ad neceſſarios ſuas literas, nũtiosq́ gratulãdi cauſa mittebant, tanquam eximium quiddam & optandum adepti. Hanc uitæ, morisq́ eius inſolẽtiã ſecuta illa arrogãtia ẽ, quòd unus ferè Philoſophorũ omnium dictum & autoritatem ſuam ſanctam haberi inſtituit pro ratione. Vnde enim celebre illud αὐτὸς ἔφα, uſurpare ſoliti erant, qui tuebantur Pithagoreã

 ſententiam,

ſententiã, ſi quando (ut fit) in diſputando premerentur, ut deliteſcerent in ſapiẽtis magiſtri autoritate et nomine? At hocne tyranni quidem in oppreſſis ciuitatibus facere ſoliti ſũt, cùm quid de priſtino ſtatu uolunt dimouere, ut non aliquam proponant cauſam & rationem uoluntatis ſuæ. Sed de egregijs autoribus tanti nominis, artisq; huius appellatiõe ac titulo, dicta hęc ſint. Quæ una ſi diſciplinã profitetur ſapiẽtiæ, ridiculè arrogans eſt: ſin ſtudiũ duntaxat, & cupiditatẽ, ſicut ipſa uis uocabuli declarat, nihil habet eximiũ præ cæteris, nec quo tantopere glorietur præter cæteras. Quis enim eſt quocunq; ex ſtudio, quacũq; ex diſciplina, qui nõ maxime cupiat ſapientẽ eſſe ſe: aut cui quicquã omnium rerũ uideatur ſapientia eſſe diuinius? Illud nunc uideamus, qua autoritate prodierit in lucẽ, fueritq; iã inde ab initio accipientibus cõmendata: eſt enĩ profectò aliqua ex origine etiã & generis ſtirpe cẽſenda nobilitas. Vt enim in edi

tio ne

tione in lucem, ac procreatione liberorum, niſi parentũ diſtinguant nomina, & gentes, pares principio cenſeantur eſſe clari obſcuris, ingenui ſeruis: propterea quòd nihil nunc demum oriens, habere poteſt ex ſeſe in populum nobilitatem: Ita Philoſophiæ prima commendatio à ſuis inuentoribus, et tanquam parentibus, repetenda eſt. Vtris igitur tandem tanti inuentionem boni aſsignatis? Græcis, an'ne Barbaris? Video magnum eſſe certamen: habetq́ pars utraq́ fortes aduocatos, ueruntamen ipſorum etiam confeſsione Græcorum ſuperiores Barbari. Itaq́ & Aegyptij ſuum Oſirin iactant: Vulcanumq́ Nili filium aperuiſſe Philoſophiæ principia annis prope innumerabilibus, antequàm in Græcia de his ipſis rebus mentio ulla haberetur, et Gymnoſophiſtas apud Indos, Druidas apud Gallos, uel ipſa teſte Græcia, magnã ſapiẽtiæ famã uideo cõſecutos. Druidum quidẽ nomen in ſumma ut tũ habebatur diuini hu

maniq́; iuris notitia, non ſolum Gręcis literis celebratum, ſed & ipſi Gręco uocabulo Semnothei ſunt appellati, propter ſcientiam colendorum Deorum uidelicet, & celebritatem religionis: atque ijdem de rebus occultiſsimis primi non pauca ad cognitionem hominum attuliſſe exiſtimati ſunt: magno ſanè munere inſignique beneficio, tanquam parum multa eſſent in oculis omniũ poſita, et inconſpectu, quæ ingeniũ diligẽtiamq́; requirerent. Prædicant Zamolxin Thraces, quem ex abdito ſpecu reſponſa ſapientiæ percontantibus edentem, nuncq́; uelut euaneſcentem ab hominũ oculis, rurſum aũt ſeſe in conſpectum dedentẽ, inducti, deceptiq́; præſtigijs, diuinitatis honore donarunt populares: itaque & ſacrificia illi ſolẽnia habita, & epulę inſtitutæ ſunt. Athlantẽ laudibus Lybes ferunt: ob imitationem enim cœleſtiũ circulorũ in ſphæra lignea relatã, quodam quaſi ſapientiæ præmio, ipſius humeris cœlum ſuſtineri nimium

nimium ſimplex illa memorauit antiquitas: ut illum ſuæ artis: ſi modò ſapit quicquã, neceſſe ſit pœnitere, ſiquidem ob eam tanto oneri ferundo perpetuo addictus eſt. Ochum habent Phœnices authorem ſapientiæ ſuæ: at Phœnicas Græci, necꝙ hi ſolùm, ſed gentes ferè omnes: literarum enim uſum, ſine quibus nimirum ſapientia non conſtat, omnium conſenſu Phœnicibus acceptum latum fuiſſe legimus: ijdem iſti, quod quidem ſapientiæ partem aliquam attingit propius, ad maritimos curſus dirigendos, atꝙ ut non iam fortis eſſet, ſed conſilij nauigatio, minorem Vrſam notauerunt, eandẽ Cynoſuram, qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto, quæ hoc etiam certior dux eſt nauigantibus, quòd gyro interiore breui cõuertitur orbe. Quid dicam de Chaldæis, Magiſꝙ, quorũ alteri ſpectandis ſyderibus, & cœli conuerſione intuenda cumſtatos illic, ſolenneiſꝙ motus deprehendiſſent, ſoliſꝙ & lunæ, cætero-

rumq́ errantium ordines, concurſio nes, momenta perpendiſſent, quæque, quó ue die in cœlo euenire neceſſe eſſet, aliquanto antè prędicerẹt, ſcitum quiddam in uita comperiſſe uiſi ſunt, idq́ populare, atq́ plauſibi le. Sed illud in ea arte cæteris fallax, ipſis illis fructuoſum, quod per uaniſſimas prædictiones fataliũ euentorum, animis imperitorum ſuperſtitione implicatis, uiam ſibi ad quęſtũ inuenerunt, & ad dignitatẽ. Magi porrò iam indeà principe illo Zoroaſtre eadẽ penè uia ad ſimilem honorem in Perſis ſunt euecti: ſacris enim & cerimonijs Deorũ procurandis, cùm de naturalibus quoq́ principijs nonnulla diſſererent, adiungerent præterea diuinationem ex alio certo genere, ac Chaldæi, animos & regum, & gentium illarum, captos admiratione ſui, tenuerunt. Atqui ab his, quos memorauimus, alijsque præterea quàm multis, quos noſtra nunc prudẽs prætermittit oratio, antiquitus proditum eſt fuiſſe orta Phi

loſophiæ

loſophię principia: barbariq́ omnes fere, qui in huius laudis contentionē uocati ſunt: quorum ſi inuentum ſapientia iſta ueſtra eſt, atq; ab eis, tanquā à principibus, autoritas eſt huic arti tribuenda. Primū quo nam abierit Græciæ infinita illa & intolerabilis gloriatio, omnia ſibi uindicantis, & quę omnium artium laudatarum initia, progreſſus, fines quum ab ſeſe ortos, tū apud ſe perfectos uult? Deinde (faueo enim ego quoque hoc loco quidē Græcis) eſto, ſit tanti, quanti eſſe uos uultis Philoſophia. Quid aut elegans ab indoctis, aut humanū à feris, aut politum à rudibus, aut denique eximium & nobile à barbaris potuit proficiſci? Si uerò Græciæ adſcribendus eſt iſte honos, id quod me Hercule malim, ſi per ipſos liceat, ac niſi domeſticis teſtibus, ijsq́ admodum probatis, lis ſecundum aduerſarium detur, erit aliqua fortaſſis in origine Philoſophiæ commendatio, propter ingenium, famamq́ Græcorum, ſed tamen per-
exigue,

exiguè, atq; infirmè à paucis poſitũ eſt, primis harum rerum inuentoribus Lino memoratas eſſe Thebas, Muſæo Athenas, qui etiam primus Deorum generationes fertur tradidiſſe: quod equidem miror filio datũ, cum Eumolpi patris inſtitutum Athenis fuerint myſteria. Attamen ſiue his, ſiue illis hoc tantum humano generi munus ferendũ acceptum eſt, cum illud dicetur, quod tamen etiam ante dictũ eſt, coarguendam eſſe eorum temeritatem, qui artem nouam atq; incognitã in lucem modo prodeuntem rei eiuſce titulo nuncupauerunt, in qua perueſtiganda, atq; in conſtituendo ecquidnam ſapientia ſit, ecquid in ſe contineat, tot poſtea eſt ſeculis, tantis & ingenijs, et ſtudijs elaboratum: tum idem hoc iſtis ipſis, qui huic arti tantum tribuunt, teſtibus confirmabitur, quod in progreſſu reprehenderunt ipſi ſeſe, tumoremq; & elationem nominis aliquãto uerecundius uſu ipſo et tractatione admoniti, in Philoſophiæ appella-

appellationem ſubſidere uoluerunt. Quod ſi illi hoc fecerunt medio in curſu, cùm rem eam, quam aſsiduè tractabant, habere iam notiorē cœpiſſent, ut imminuerent aliquid de prioris appellatiōis grauitate, et nomine: nobis non licebit in ipſa penè calce conſiſtentibus, & iam planè edoctis, quàm puerilis ars tota iſta Philoſophia ſit, diripere illi quod reliquum eſt autoritatis, eamq́ haudquaq́ ſibi debiti honoris inſignibus nudatam, è ſuggeſtu, ſedeq́ principum, in ſcholarum angulos, & homunculorum inerticulorum diſceptationes eijcere? quæ præſertim tam ſit auida, & helluatrix, ut nullis certis finibus contēta, in omnia omnium conetur inuadere. Preclarum quibuſdā uidetur eſſe cœleſtia contemplari: arrogat hoc ſibi in primis Philoſophia: Moderari politias, ne in hac quidem parte cuiquam relinquit locum: Scire agere uitam prudenter, & nauiter; hoc uerò præcipuū ait eſſe munus inſtructi ab ſeſe

ſapientis:

ſapientis: Aptè, & congruenter temporibus loqui, unúmque facundia excellere inter multos: huius quoque ſiue artis, ſiue peritiæ, uiam à ſe prædicat, & rationem eſſe petendam. Sunt etiam ſubtiliores, & minime populares artes, ſcientiæque Mathematicorum, in quas temere irrumpat. Quæ (malùm) iſta tanta cupiditas, quæ impudentia eſt? Quoquò modo certè ea non ferenda, ſuique tandem aliquando huic procaci Philoſophiæ ſunt conſtituendi termini, ne ad libidinem euagetur, depaſcatúrque omnia omnium: neue ex alienis opibus intumeſcat: in quo tamen quantus (ô Dij) error eſt eorum, qui illi omnia in ſinum ſtudent congerere: dum enim eam in omneis regiones, oráſque diſciplinarum deductam eſſe cum imperio uolunt, ſtabilē ei nullā relinquunt ſedē, ubi tanquam in paterno regno, & auito dominetur: ſed ſemper illi cum hoſpite litigandū ſit: quam nos litē ſic dirimamus, ſi placet: Si una quæque ars ſuū &

certum

certũ habet nomen, quo appelletur, ſeparatimq́; & ſeiunctè denotetur à cæteris, neque poteſt unius certæ artis duplex æquè eſſe nuncupatio: nõ erit Aſtrologia, Philoſophia, nõ Geometria, non Muſica, non Arithmetica: habent enim ſingulæ hæ ſcientię appellationes ſuas, in queis & ſua cuiuſq; artis uis, facultasq́; comprehenditur, & à cæteris ea ſeiungitur. Itaque ſi Eraſiſtratum ſuæ artis, & profeſſionis nota iudicare uoluerimus, appellabimus (opinor) medicum, et Hipparchum aſtrologum, & Ariſtoxenum fortaſſe muſicum: Philoſophi autẽ nomen ab unoquoque horum ſegregabimus. Si uerò ad proprias artium cunctarum appellationes commune omnibus nomen acceſſerit Philoſophia, iam non magis fuerit in Aſtrologia ſapiens Eudoxus, quàm in ſtatuaria arte Phidias, nec minus ſapiens pictor Apelles, quàm Philoſophus Plato. Quod idem in reliquas etiam uulgares, & mechanicas artes, uel

Homero

Homero teſte, deductum, efficit id, quod antea dixeramus, ridiculam eſſe horum profeſsionem, qui ſibi ſoli doctrinam arrogant ſapientiæ. Quare ſi ſententiam tueri & exiſtimationem uolunt ſuam, tanquam eximium quiddam minimeq; uulgare adepti, contrahant Philoſophiam neceſſe eſt intra fines ſuos, neq; eam libere ita depopulari ſinant aliena, ne ſi aditum ad prætorem ſit, improbitatis damnetur, alienoq; cum ignominia reddendo, ſuas ipſa etiam fortunas, ſi quas modò habet, mulctæ nomine abijciat. Subijcere igitur Philoſophiæ ſiue mauultis ſapientiæ, certam rem & propriam, quaſi materiam quandam oportet, in qua ſola ipſa dominetur, neque in ea admittat conſortium reliquarũ. Quæro ergo, quam? Hic tibi aliquis uerborũ credo amplitudine nos deterrere poſſe poſtulans, Philoſophia eſt, inquit, rerum diuinarum humanarumq; ſciẽtia. Agnoſco ſonitum, pompamq; uerborum, certi in re ni-

hil uideo. Quis hunc nõ irrideat tan tocum ſtrepitũ tam timide ſe inferẽtem? Ecce alter de tranſuerſo feſtiuã affert collectionem Si ut quis in quaque arte excellit, inquit, in ea ipſa arte ſapiẽs perhibetur: uerbi cauſa Phidias, ſi in ſuo opificio ſummus eſt, in eo etiam eſt ſapiens; item in pictura Apelles, in fundendo ære Lyſippus, ſapientiũ nomen propter egregiam in arte ſua cuiuſq; præſtantiam ſunt meriti, quod idem ualet in reliquis: erit ipſa per ſeſe ſimplex & abſoluta ſapientia, rerũ in mundo prẽſtantiſſimarum ſcientia. Huic cyathus mulſi dandus fuit, ualde enim credo laborauit, ut quid deniq; eſſet ſapientia, haberemus exploratũ. Num non uidetis ex his quidem definitionibus nihil afferentem quod clare & diluci de de ſe polliceatur, falſæ modò in populum opinionis aucupatricem eſſe Philoſophiam? Verùm his omiſsis, requiramus potius terminos; quos peregere ij, qui in ea autoritatẽ ſunt conſequuti; Platonem dico, & Ariſtotelem;

ſtotelem: hos enim uideo à uobis in toto genere hoc conſtitui principes. Hi ergo partitionē Philoſophiæ trimembrem eſſe uoluerunt, ut triplex eius munus eſſet, trina functio: una pars in rerum cœleſtium contemplatiōe, cauſis, effectibusq; naturæ indagandis uerſaretur: Alter amores, leges, inſtituta, uirtutes, uitiaq; hominum conſtitueret: Tertia differendi rationem, dijudicandiq; quid uerū eſſet in diſputādo, quid falſum, quid conſentaneū, quid repugnans contineret: ita in treis partes omnis diuiſa Philoſophia eſt, Naturalem, Moralem, Dialecticā, quam eandem, ſi Latinis malumus uti, quàm Græcis (etſi Græca quoq; ipſa nomina iam in conſuetudinē noſtram adſciuimus) rationalem forſitan rectè poſſumus appellare, quod idem eſt & Logicā. Hac diuiſione conſtituta congrediamur propius, atq; ita ut ne uibrare arma tantummodo, & quoſdam edere motus, ſed ut manum etiam conſerere, & prælīū uideamur inire uoliſ-

ſe:

ſe;ſingulasq́ haſce partes, quid una-
quæq́ earum ad ſapientiam ualeat,
conſyderemus: ut ſi uniuerſæ artis
inutilitatem & ignauiam quodam-
modo(ſic enim dicendum eſt) potu-
erimus demonſtrare, multorum ani
mos hoc errore liberatos à ſuperſtiti
oſis & inanibus curis, ad illuſtres &
ſerias occupationes tranferamus: ni-
ſi quid ad hæc uos. Quid nam? Citra
rius inquit, niſi nos in magna audien
di expectatione eſſe: ut experiamur,
Phædre, tua iſta ſingularis eloquen-
tia num nam queat in maxima cauſa
ſtabilem & fixam multorum de Phi
loſophiæ uirtute labefactare opinio
nem. Nec tamen ego is ſum, qui bel-
lum illi habeam indictum: nec ta-
men reprehendendam & abijcien-
dam Philoſophiam, quàm modũ in
ea quærendũ puto, in quo ſentio Phę
dre, aliqua ex parte tecũ, proboq́ Ne
optolomij ſententiã, quæ mihi cũ Sa
doleto meo una ē diſſēſio. Ille eñ(ut
uides ipſe) operã omnē in ea locari,
et nihil agi aliud in uita rectũ putat.

 Sed

Sed tu perge quæſo, & in hanc partē potius incumbe tamen: nam qui amplius ęquo collaudant Philoſophiã, nimium ſæpe multi, & mihi moleſti ſunt. Atqui, inquit Gallus, mihi contrà modò mirari ueniebat in mentē, cùm Philoſophiã uenerer etiam ſummopere, non ſolùm diligam, quî poſſem non æquis auribus modò, uerũ etiam ſtudioſè audire eam uituperantem Phædrum. Sed profectò ſic eſt, ut dicitur: Nil tam iniquum, quod non dicendo æquum uideri queat. Cùm enim tantus in hoc homine lepos ſit, ut me illius quidem ſemper, ſed & alios omneis ſæpe mirabiliter delectet oratio: tum uis ingenij tanta, ut in quam ſe cunque incitet partem, aliorũ ſecum ſtudia pertrahat, & uim quodãmodo afferat ſenſibus audientium, itaq; uereri iam ipſe cœpiſſem, ne quid de mea priſtina uoluntate erga Philoſophiam dimitterem, niſi me confirmaret expectatio defenſionis, quam Sadoletus noſter eſt habiturus: quod ipſum illi quidē
non

non difficilius, futurum eſt, quod tecum nunc non adeſt is, qui eſſe ſemper unà ſolet, nec à te unquam, Phædre, diſcedere, alterum lumen urbanæ huius facūdię Camillus Porcius. Hic ego, Hoc Galle, inquam, quod mea fiducia teipſum confirmes, uide ne in fraudē potius te deducat, nanq; ego quis ſum? aut quid poſſum per me denique? Sed ſi quid fuerit, quod utinam aliquid ſit, bonitas cauſæ ſuppeditarit, mihi facultatem aliquam reſpondendi: & tamen Phædrum noſtrum paratiorē eſſe uideo, quàm expectaremus, quam enim ſibi accuſandam & refellendā aſſumpſit Philoſophiam, ab ea ipſe arma uidetur mutuatus, quæ in illam ipſam demū oratorijs uiribus, & neruis intorqueat. Equidem uellem Marius Volaterranus adeſſet, amiciſſimus omniū noſtrum, homo quum acerrimi ingenij, tum omni quidem ille liberali doctrina, ſed in his Philoſophiæ ſtudijs in primis exercitatiſſimus, quē nos omnes audiuimus ſæpe quacunque

eſſet de quæſtione propoſitum; in utramuis partem diſſerentẽ ita copioſe atq; ample, ut quemadmodum de Carneade dictũ reliquit Cato, quod non poſſet eo dicente diſcerni quid uerum eſſet, et quid falſum: quod incredibili quadam ingenij & orationis copia audientium mentes obruebat. Sic huius ſit & ſublimibus ſentẽtijs, & acutiſsimis argumentis referta diſputatio: in extenuando uerò, & amplificando, tanta uis, ut nihil illo laudante humile, nihil uituperante uideatˀ excelſum: haud ſanè ille nunc pateretur deſertam, & oppugnatam iacere Philoſophiam: præſertim in eam impetum faciente Phædro, quo cum ille ſemper fuit cunctorum opinione quaſi comparatus: ſummum in utroq; ingeniũ, ſumma eruditio, ſalis & facetiarum ubertas par, uerũ ille Philoſophiæ aliquantum & ſtudio, & amore coniunctior. Phedrus hanc popularem orationis laudẽ magis eſt ſequutus, qua nunc fretus, ſi ipſo iudice populo uti poſſet, næ ille
cauſam

cauſam, ut ego arbitror, parũ æquã, haud difficiliter obtineret. Sed bene agitur cum Philoſophia, quod à populari diſceptatione remota eſt: quãobrem ede nobis Phædre ea, quæ ad uerſus eã nunc primũ tu quidẽ, neq; leuiter, ſed & diu antea, & perquàm accurate es meditatus. Tum ille, Faciam equidẽ, inquit, atq; hoc tibi ſtudioſius nunc morem geram, quo ſis in metu poſtea aduerſarius lenior: Nec tamen mihi interdictũ putabo, quin ſi ad paucos iudices me perculeris, ad populũ mihi parata ſit prouocatio. Hic cùm arriſiſſemus, Videtur, inquit, ordo rerum & natura poſtulare, ut prius deſcribamus ſapientiæ formã: quæ, mea quidem ſententia, cùm aptior ex ſeipſa ſit, tum ad uitam ſplendide, & cum laude degendam accõmodatior: qua poſita, faciliмum poſtea fuerit, qui ab hoc ſigno, tanquam nauigantes ab Arctico polo, aberrauerint, eorum errorem, inſipientiamq; coarguere. Quoniam igitur ſapientẽ eũ eſſe uolumus, non

qui in ſolitudine, neque cum paucis ineptis, ſed qui in cœtu, concilijsque hominum uitam agat: communesq́ cæterorum uoluntates & ſtudia ſecutus referat ad ſeſe omnia, quæ quidem ſint expetenda, ſiue adeò quę expetãtur: expetitur enim idem, & expetendum eſt, quod opinione plurimorum iudicatur dignum, ut in eo adipiſcendo omnis cura, induſtriaq́ ponatur: erit ſapiẽtia, earum rerum comparandarum ſcientia, quæ ab eo genere hominum, quo cum uerſeris, & æſtimẽtur plurimi, & maxime expetantur: hoc definitione breuius cõprehenſum, oratiõe eſt dilatandum. Tria ſunt (ut mihi quidem uidetur) in quibus omnis humani conſilij deſiderijq́, et ratio uertitur, et appetitio, eaq́ ueteri etiam prouerbio notata, quo ſic diſtinguitur: Optimum eſſe bene ualere, honorari pulcherrimũ, iucundiſſimũ frui eo, quod quis maxime cupiat, ita ſalutis, glorię, iucunditatis præclara eſſe uidetur & expetenda adeptio, nec uerò quenquam

eſſe omnino omnium mortalium re or, qui non hęc ſibi cuncta adeſſe ma ximè uelit. Sed uoluntas nullam ha- bet laudẽ: libera enim eſt omnibus, et tardis iuxtà, ſollertibusq́ commu nis. Scire autem inuenire ſibi ad po- tiunda hæc aditum: & cùm uniuerſa in hoc certamẽ tanquam in curſum, aut luctã deſcendat multitudo, præ- ripere unum cæteris palmam adipi- ſcendi, aut certè inter paucos ſuũ lo- cum & partẽ obtinere: hoc iam pro- prium illius ſapientiæ eſt, cuius nos iudicationem non uni, aut alteri, ſed frequentiſsimo conſilio permitten- dam ſtatuimus. Nã ſi quis ſingulari quadã opinione præditus, diuerſus longè à populi iudicio, aliam ſibi ne- ſcio quam nocturnis lucubrationi- bus in ſilentio & cubiculo effingit ſa pientiã (ut nunc taceamus alienam eum quandã & deuiam, longeq́ ab- errantem à communi prudentia, ac plenã uanitatis ſequi rationẽ) quid, quæſo, aliquid is ut efficiat, quàm e- rit amplum illud atque magnum, in

quo neminem ille omnino ęmulum, nullum riualem eſt habiturus? An ignoramus contẽtione certantium, ac ueluti licitatione quadam, augeri rerum precia, atq; æſtimationes? certoq; indicio eſſe iacere eas res, & penitus abiectas eſſe, in queis nulla inter ſe contrà licentium ſtudia conflictãtur? At hoc minime uult ſapiens: uerùm quod maximi & eſt, & habetur, in eo maxime conatur excellere. Ad multitudinis igitur iudiciũ acta ſua præcipue conſiliaq; accõmodat. Vt enim habitum corporis, atq; ueſtitum: ut ædificationis formam, domiciliorumq;: ut lauandi, cœnandi, loquendi morẽ: ſic actiones, & conſilia totius uitæ ad populi iudicia flectere, dirigereq; debemus: porrò illa tẽporibus reguntur. Eſt ergo primum ſapientis munus ſeruire tempori, & ſemper in eo, quodcunq; plurimi fuerit, præcipuas ſuas partes, et principem autoritatem eſſe, poſtulare. Iam'ne cernitis totius ſapientię intelligentiam, quam Philoſophi

ſuam

ſuam eſſe uolunt, populum ſibi potiore iure uendicare? Et ſanè æquius multo eſt, unum concedere ſententijs plurimorum, quàm unius pluri mos. Deſciſcere autem ab opinione et decreto multitudinis, aut arrogantiæ eſt non ferendæ, aut leuitatis irridendæ. At populus nunquam diu in eadem ſententia permanet. Quid tum? Turpe eſt ſapientiæ uariare decreta. Quid tu poſtulas ſempiterna eſſe hęc, quę generata ſunt mortalia? ut enim Valetudo non ex eiſdē ſemper, ſed ex alijs, & alijs retinetur cibis: ſic ſapientiæ conſilia non perpetuò unà ſunt, ſed ad tempus ſe accommodant, & ad fortunam, cuius præcipuum eſt, in humanis rebus poſſe dominari. Nec tamen etiam ſi non ſemper ſibi multitudo in eadem opinione conſtās eſt, ſed aliò aliàs, & tanquā fluctu quodā fertur ad iudicandū, iccirco de honore detrahitur ſapientiæ. Sed haud ſcio, an uegetior hac re quidem, & ſemetipſa ſolertior quodāmodo ſapientia ipſa fiat: ac uti

facem motus, ſic illam mutatio, & uariatio accendat. Vt enim ſi idem mos perpetuò tenendus eſſet, & conſuetudo eadem facilè eſſet unicuique inueteratam uſu, & per manus traditam, uitæ ſapienter degendæ retinere diſciplinam: Sic quoniam mutandæ ſæpe opiniones, ferendæ uiciſsitudines, ſtudia in diuerſam partẽ cõuertenda, prioris uitæ ratio omnis atq; deſcriptio ſæpe etiã repentè denuo ſingenda eſt, habet munus ſapiẽtia non minus difficile, quàm præclarum, in uarias ſeſe formas crebrò cõmutandi: ut ad omnes euentus rerũ, uarietatesq; temporum promptam ſolertiam afferat. Floruit in gubernatiõe Reip. P. Scipio Naſica Pont. Maximus: neque in ea ſolùm ſapientis uiri laudem, ſed optimi etiam cognomen ſenatus iudicio, matre Idæa Peſsinunte hoſpitio accipienda, meruit. Atq; is ipſe cùm ſubitis ſeditionibus turbata eſſet Reſpub. lenitatẽ illam ſuam priſtinam, odio inimicorum increſcere paſſus eſt; nec minus

nus diſsidentibus factionibus uictores ſuos eſſe uoluit, quàm antea tranquillo Reip. ſtatu, ornatos florentesq́; uoluerat. Lælius uerò eodẽ illo tempore etiam proprio cognomine dictus eſt Sapiens; quia cùm agrarijs prius legibus fautorem ſe prębuiſſet, ſimul ac præſenſit multorum ſe odia in caput ſuum concitaturũ; deſtitit ab incepto, tranſijtq́; ad eã partem ut locupletes cenſeret in agrorũ poſſeſsione eſſe retinẽdos. Flexit horũ uterq; conſilia & actiones ſuas ad id, quod expediebat, quodq́; tempus ferebat: egere ſapienter. Quòd ſi lenitatem Scipio, conſtantiam Lælius tenuiſſent, pręceptis forſitã huius ueſtræ paruiſſent Philoſophiæ: ſapientium quidem nomine, & laude caruiſſet. Vnus eſt ex omni antiquitate, quem maxime admirer, C. Iulius Cęſar; cuius tanta animi uirtus, tãtum ingenij fuit, ut anguſtius theatrum gloriæ ſuę orbem hunc terræ, quem incolimus quàm ipſe meritus ſit, habuiſſe uideatur. Hic non ad unam,

alterámue laudẽ, ſed ad omnia ſumma natus: cum etiam tum adoleſcens probari in foro eloquentiã uideret, adhibuit ſtudium, in ea nemini ut eſſet ſecundus: ex bellica porrò uirtute gloriam ſibi meditatus, & potentiam: magnitudine animi perfecit, & induſtria, ut nõ ſolum gentium omnium uictor, ſed naturæ etiam eſſet, Oceano domito, atq; eo toto ſummotis nationibus, non ſolum inueſtigatis, uerumetiam bello armiſq; ſubactis: fluminibus, quæ neutiquã permeabilia uiderentur, iugo pontium deuinctis: infinitis ſpatijs terrarum celerius curſu, quàm fama peragratis. Atq; hic idem, domi & in patria, ubi intellexit priuatim quæri opes, Rempub. in medio prædæ omnibus eſſe: operam dedit, ut cunctorum exiſteret princeps, imperiumq; ſibi acquireret: ad ſalutem illum quidem, non ad perniciem ciuitatis, ſi per homines impios ea quæ cõſtituerat efficere ſitus eſſet. In hoc ego homine maximã uim ſapientiæ fuiſſe duco:

& certè

& certè talẽ ſtatuo eſſe debere, quem iamdudum effingere conor ſapientẽ, alto animo, acutum, ſagacem, induſtrium, longè prouidentem in poſterum; ſuam uirtutem impartientem omnibus, ſibi præcipua & maxima appetentem, opes, imperium, autoritatem, gloriam: non enim obliuiſcitur ſui ſapientia, nec ſuorum penitus commodorum curam abijcit, ſed refert ad ſe omnia ſapiens, cõſulitq; ſibi potiſsimum: nec putat dignior ẽ eſſe quenquam, qui commodis uitæ honoribusq; fruatur: habetq; illud in ore, opinor, Pacuuij, Sapientem qui ſibi prodeſſe nequeat, nequicquam ſapere. Hanc ego artem, & diſciplinã agendæ uitę, ſapientiã uoco, ciuilem quandã popularemq; philoſophiã, erigentẽ homines ad facta tum ſplendida, tum in multitudinem glorioſa: eóſq; magnos, potẽtes, nobiles: atq;, ut uno uerbo complectar omnia, principes deníque efficientem. Confer te nunc iſtam ueſtram, ſi placet, quã in ſcholis quotidie declamitatis

Philo-

Philoſophiam, ut hęc ab illa quid interſit, dijudicare poſsimus. Ac primum, tanquã ueſtibulo amplo, atq; excelſo ornare illam cupientes, præponitis rerum cœleſtiũ contemplationem & occultarum rerum, cauſarumq; indagationẽ: ea enim eſt Phyſice, quæ primum tota incerta eſt, minimeq; comprehendibilis: deinde etiam ſi comprehendatur, prorſus hominum uitæ inutilis & ſuperuacanea. Quid enim poterit gloriari ſe adeptũ eſſe, qui illa cognouerit, cùm nõ ſua, ſed aliena cognouerit: uerum cognoſci nõ poſſunt. An ille mundi effector, & fabricator tanti operis Deus, tantis locorum interuallis à ſe metipſo nos diſiũxiſſet, ſi ſuas ſedes, arcanaq; conſilia nobis nota eſſe uoluiſſet: Quid eſt aliud bellum indicere Dijs, more gygantum, quàm illuc niti aſcendere, quò nobis aditus omnis penitus eſt intercluſus: Atqui mihi uidentur ueteres illi haud ilicò pdẽ de gygantibus fabulati, quò horum inſolentiam, temeritatemq; arguerent:

rent: quod ea re firmius adducor, ut credam, quòd ut illi montibus tribus tanquam gradibus, ſic Philoſophi trinis, antea à nobis memoratis Philoſophiæ partibus, in altiſsima loca moliuntur aſcenſum: Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſan, Scilicet atq; Oſſæ frondoſum inuoluere Olympũ: ter pater extructos diſiecit fulmine montes: Scripſit diuinè, ut omnia, poëta omnium maximus: nec tam ille ut gygantum, qui certè nulli id egerunt, quàm ut hominum ſuis ingenijs nimium confidentium arrogantiã refelleret. Qanquã nõ ingenij eſt, ſed dementiæ, quę nullo intelligi pacto queunt, in ea nihilominus mentis aciem ad intelligendum intendere. Nam iſti quidem ingenium ſi habuiſſent, primũ quidẽ ſciri iſta non poſſe uel ipſi cognouiſſent, uel doctiſsimis hominibus, ac principibus diſciplinarũ ſuarũ affirmãtibus credidiſſent. Deinde ea omnino nihil ad ſe pertinere. Poſtremò quas ad res ingeniũ adhiberi, & pru

dentiam oporteret, ad eas res adhibuiſſent, in cœtibus hominũ uidelicet, & conciliabulis ciuitatum, ubi non in umbra, & cubiculo, ſed in ſole atque campo: non in argutijs & cõcluſiunculis, ſed in agendo & regendo ſapientia ipſa cernitur. Verũ ad hoc genus uitæ præſtabile atque eximium, tanquam abortu naturę quodã cum minime idonei nati eſſent, cõfugientes in ocium & ſolitudinem, ignauię culpam et tarditatis, ad cœleſtis ſcientiæ laudem transferre tentauerunt: cœlique res, rationes, cauſas, freti ocij abundantia, formam, motum, materiam ex qua conſtet, opificem à quo ſit factus, finem quo intendat, inquirere: quum terrena, & quæ in manibus, quæque ante oculos erant, percipere non potuiſſent. Quod eſt ante pedes nemo ſpectat, cœli ſcrutantur plagas. Antiquus uerſus in hoſce factus: ſicut Thaletẽ unum è ſeptem illis argutè luſum ab anicula legimus, qui quum domo ſemel antelucanus egrediens, ut ſiderum quorun

dam

dam annotaret curſum, in ſubiectam pedibus foueam, quam non animaduerterat, cecidiſſet: quid, inquit anus ancilla acutè procax, à te expectandum Thales eſt, ut nobis de remotiſſimis rebus perceptum tradas, cùm ante pedes quæ ſunt, ea minime intueare? Acris in illum obiurgatio, ſed ualet in reliquos. Omnes enim qui huic arti ſe, & ſtudio dediderũt, aut deſperatione ducti, poſſe ſe inter cæteros ſuum locũ & ſtatum obtinere, huc ſunt compulſi, aut uanitate quadam ingenij, leuitateq́ naturæ friuolam oblectationem hanc, & arridentem ocio, deſidiæq́ diſciplinam ſerijs occupationibus antetulerunt. Huiuſmodi homo Anaxagoras fuit, qui percontanti cuidã, Quonam eſſet natus: Ad cœleſtium contemplationem, inquit. Si oculis intuendam, nihil ille habebat, quàm cæteri homines plus. Si mente, & ſcientia comprehendendam, ne Anaxagoras ad rem nullã natus, ſi quidẽ ea ſequebaẽ, quæ nõ poterat aſſequi,

haud ſecus multò, ac mens ipſa illa, cuius idem ipſe repertor fuit, quam infinito antea tempore ceſſantẽ, tandẽ admouiſſe manus tradidit, ad minutiſsimas particulas corporum naturalium in unum confuſas ſecernẽdas: quæ infinita et interminabilis ſecretio, non tam Anaxagoream mentem arguit fruſtra ſuſcepti laboris, quàm Anaxagoram dementiæ: atq; hic ipſe, quò liberius hiſce commentitijs rebus uacaret, néue aliã in partẽ cura ulla abduceretur, agros quos fructuoſiſsimos habebat, incultos dicitur reliquiſſe, nequaquam laborioſam mentem illam, quam tantopere adſciſcebat, imitatus: cùm non laborẽ ipſe modò, ſed cogitationẽ quoq; effugeret labores. An hoc cõuenire ſapientiæ exiſtimauit, quũ laborem mẽtis tantis præconijs efferret, ſe nihil laborare? & quũ mens alieni tantam curam gereret, ſua ipſum negligere? Quãto ſapientior eius auditor Pericles, hac maturè dimiſſa diſciplina, ad regendam Remp. ſe contulit:

in qua per quadraginta fuit annos, non Athenis ſolùm, ſed in tota Græcia ferè princeps. Atq; hæc ſentētia, nullam ſublimium rerum atq; occultarũ nec ſciri poſſe à nobis nec percipi, ſi autoribus nobis nunc demum prodijſſet in lucem, nõ dubitaremus eam ſanè cùm aſſeuerare conſtanter, tum etiam rebus & argumentis confir mare fortiter. Verũ ſi'qua eius tamen inuidia apud aliquos eſt, nihil prohibet opinor, quin eam à nobis depellamus, & ad eos ipſos, quos cõtra dicimus reijciamus. Etem, quod ſacræ teſtantur literæ, à Rege ſuperbiſsimo extructã turrim, cuius apex & celſitas in cœlum finienda eſſet: tum Deum ad diſturbandum opus uarietates linguarũ, & uerſiuocales ſonos, diſcrepantiaſq; uerborum immiſiſſe, ut aliud petẽtibus, aliud accipientibus ijs qui fabricæ inſtabãt, ab opere deſiſteretur: idẽ mihi optimè quadrare in Philoſophos uidetur, quorũ Deum quũ miſereret potius, quàm his iratus eſſet (neſcit enim di-

uina bonitas iraſci) de ſummis re-
bus acerrimis illos diſcenſionibus
inter ſe concitauiſſe, ut alius alium
redarguẽdo, omnes ineptam curam
deponerent. Enimuero quem pri-
mum teſtem ab iſtorum parte, con-
tra iſtos eos ipſos excitabimus? Opi
nor illum, quem uos principem,
quem authorem, quem parentẽ Phi-
loſophiæ dicitis, Socratem. Quid
ergo is, quid affert? Se ſcire hoc u-
num, quod nihil ſciret: atque hanc
unam ſibi adeſſe ſapientiam, quod in
certa pro certis non duceret. Nec ue
rò ſenſit hoc ſolum, ſed palàm quoq;
omni tempore prædicauit: nec præ-
dicauit modo, uerum etiam re ipſa
ſequutus eſt. Quum enim Archelai
in Phyſicis diſcipulus fuiſſet, eius,
qui Anaxagoram audierat, totam
eam penitus abiecit, contempſitque
ſcientiam, tum quod certi in ea nihil
ineſſet, tum quod minimum condu-
ceret (ut ipſe dicebat) ad beatam ui-
tam, in qua una conquirenda potiſ-
ſimum homini eſſet elaborandum.

Neq; adeò leuius ille Anaxagoram accuſabat, quàm nos eundem paulò antè reprehenderimus ; quòd (ſic enim eum loquentem inducit Xeno phon) altũ quiddam, & ſupra ſe ſapi ens, Deorũ opera patefacere tentaſ- ſet, quæ illi operta eſſe uoluiſſet. Em pedocles uerò cuius elegans de rebus naturalibus poëma, plus ingenij & uenuſtatis, quàm ſapientiæ profectò continent. Interdum quaſi furore in citatus, nihil poſſe percipi, ne ſenſi- bus quidem exclamat: nihil nos cernere, omnia in abſtruſo penitus abdi ta eſſe. Idemq; ait, ad rem præſentem quidem, & quæ occurrerit, conſiliũ homini adeſſe: mutatis autem ijs rebus, in quas antè intuebatur, mutari & hominis ſenſum ac conſilium: ut uideatur Protagoreã rationem, quę pòſt exorta, & copioſius defenſa eſt, his paucis uerbis innuere: cum quo ſentiens Parmenides uetuſtus autor & nobilis, Quo quiſq; membrorũ tẽ peramẽto præditus eſt, inquit, ſic ha bet mentem temperamentum illud

 ſequentem.

ſequentem. Extat etiam reſponſum Anaxagoræ, Talia eſſe cuique quæ occurrant, qualia ab eo concipiātur. Tanta enim mobilitas, & quaſi fuga rerum cunctarū à ueteribus illis animaduertebatur, ut negaret Heraclitus bis nos in eodem lauari flumine: quod idem eſt ac negare, bis eadem nos uere uti poſſe ratione. In quo facetum illud Cratyli, qui quum Heraclitum reprehendens, ne ſemel quidem id fieri poſſe cenſeret, iam oratione in rebus enarrandis nihil utebatur, quod negaret rem expectare moram dictionis poſſe: ſed tantummodo ſublato digito, capiteque reiecto actum non eſſe agendum indicabat. Democritus uerò naturæ ueluti ſuccenſens, obuoluta dicit eſſe omnia, & in profundo penitus à noſtris aſpectibus retruſa. Quanquā hîc quidem, quò melius credo, illa cerneret, oculis ſe dedita opera dicitur priuauiſſe: quum iam Empedoclem idem furor, ne diutius is fruſtra in quærendo operam ſumeret, in crateras Aet-

næ

næ præcipitem ieciſſet. Vtor ſingulis teſtibus, ijsq; ſpectatis: quorum ſi authoritati fides adiungenda eſt, nihil eſt cur inanem hunc laborem in Phyſicis, illis ipſis deſperātibus, nos ſubeamus. Neque enim aliud eſt ueritatem inquirere, ut ait Ariſtoteles, quàm uolātia ſectari: hoc eſt, ea quæ comprehendi non poſſunt, captare cupere. Sin autē deroganda, his præclaris autoribus in primis, nixa in lucem prodijt Philoſophia. Quid ſecta una Philoſophorum, & quidem ea nobilis academia, ſiue ea uetus, ſiue noua ſit, nónne hoc dogmate uniuerſa, & tanquam fundamento nititur, nil percipi certò poſſe, nec rei cuiquā aſſentiendum eſſe? Quum enim uiſa (ea Græci phantaſmata) quibus mēs pellitur, & ad iudicandū adducitur, talia prorſus à falſo eſſe poſsint, qualia ſunt à uero, non eſſe regulam, qua liquidò demonſtretur, altera ab alteris quicquam intereſſe. Huius ſententiæ princeps fuit, ut mihi quidem uidetur, Plato, atque ab ipſo illo So-

crate: ſed hic primus rationem hanc dubitandi in ſcriptis prodidit, effinxitq; Socraticum morẽ, cuius admirabilis eloquentia mihi omni Philoſophia uidetur præſtantior. Sane ergo is non tantopere Socratis ἐποχὴν illã, nos ſuſtinentiam, ſi placet apellemus, nihil pro certo affirmandi, literis perſecutus eſſet, ſi non eandẽ ipſe ſententiã tenuiſſet. Hanc à Platone acceptam, aliquot annis pòſt Polemonis auditor renouauit Arceſilas: Quintus deinceps ab eo Carneades etiam acrius defenſitauit. Hæc me labore hoc leuat, uel inuidia potius. Quod enim eſt à me poſitum, cauſas rerum occultas, & ſcientiam cœleſtium non poſſe percipi, hæc nõ modò ſuſcipit defendendũ, ſed dilatat etiã: & quidem amplius aliquanto quàm uelim. Tollit enim præterea etiã iudicia ſenſuum, neq; relinquit omnino quicquam, in quo poſsit aſſenſio noſtra cõſiſtere. Quamobrem relinquamus hanc qua ex parte fundit ſe latius, & ſuam litem facit, eam ipſam

quoq;

quoq; manifeſtò inſanientem: quod enim percipi non poſſe ſentit, id ipſum illa uehementer, ut percipiat, elaborat. Quatenus uero nobiſcum facit, cum præſidio quidem utamur illius, tum autem non minus eorum, qui perceptionem admittunt, atq; ſcientiam: quos inter ſi tot iam ſeculis conuenire potuiſſet, ut de omnibus, aut ſaltem de primis atq; præcipuis ſentirent eadem, eſſet aliquid fortaſſe, in quo nobis quoque acquieſcendum putaremus. Nunc qui de occultis rebus, atq; obſcuris dicam, quum in clariſsimis tanta ſit diſſenſio? Sole hoc quid lucidius eſſe poteſt? unde omē lumē, omnis claritas, omnis in cœlo & in terra eſt radiatio; atqui hūc ipſū, cuius aſpectus maxime implet oculos noſtros, non modò quid ſit, ſed ne quantus quidem ſit, horum adhuc concordi ſententia potuit definiri. Epicurus bipedalē cū eſſe, aut nō multò plus, uel minus, ſcilicet hic omnia ſuis oculis indulgēs, quorum

ut ſaluum

ut ſalutū teneat, incolumeꝙ iudiciū, audet negare etiam impudenti mendacio, ſibi unquam cum torſiſſet aciem, duas è lychno flãmulas uibrare uiſas. Mathematici duodeuiginti partibus maiorem quàm terrã: Nũ hæc exigua differentia eſt? Creuit impudentia: centum enim & ſexaginta partibus ſunt, qui uelint terrã à ſole ſuperari. Adhibeamus Architectũ peritũ qui horum ſeptempeda controuerſias coërceat: uerùm non metiendo, opinor, ſed cędendo. Nã qua ex materia, quóue ex corpore factus ſit, auſus ſolus eſt Anaxagoras dicere: ferrum eſſe illũ igne penitus candens, ueritus credo ne ſi ad ſecernendum hũc quoꝙ mens illa ſua manus admouiſſet, ſolem in mundo non haberemus. Hoc fortaſſis Democritus neglexiſſet: Anaxagoras pertimuit: itaꝙ muniuit & duritie ferri, & ardore ignis: atꝙ ne illum parum forſitan profeciſſe hac ſententia exiſtimetis, hoc nomine ab Athenienſibus impietatis eſt damnatus. Quid nobis

nobis omnibus magis eſſe poteſt perſuaſum (nam perceptum non audeo dicere) quàm cœlũ circuncirca nos torqueri : terram in infimo mundi iacere immobilẽ? Extitit tamen Philoſophus Syracuſanus Niceas , qui ſtare cætera cuncta cenſeret, ſolamq; rerum omnium terrã circum axem moueri, ex eoq; fieri, ut eadem apparerent omnia, quę circunuerſo cœlo eueniunt? Huic ut defuerit ſua ratio, temeritas certe pro ratione affuit : adeò nihil tam abſurde dicitur , quod non aliquo autore defendatur Philoſopho. Iam cœleſtium orbium numerus nũ adhuc ſatis perueſtigatus eſt? finem equidem uideo nullum fore, ſi quod uſq; adhuc factum eſt, ſingulis ꝓpè ſeculis nouus aliquis orbis præterea adijciatur. Nam de epicyclis aſtra ferẽtibus, ac de orbibus à medio mũdi dimotis, quos eccentricos ipſi uocant, ſint'ne, néc ne ſint, digladientur per me licet cum Philoſophis Aſtrologi: quorum alteri ſtatos fieri motus ſine his, alteri cum his natu-

rã ſtare poſſe negant. Atq; hæc tam perſpicua in mũdo & manifeſta quę palàm feriunt oculos, auerſosq; etiã in aliam partem, rerũ pulcherrimarum ſpectaculo ad cõtemplationem ſui trahunt, ſi ignorata ſunt, et imperce pta, quid erit de obſcuriſſimis rebus, & à ſenſu noſtro abſconditis dicendum? Omittamus de Dĳs loqui, quo in genere nos Deum unum agnoſcimus, tribus perſonis, eadẽ mente, eodem numine, eadem natura, eadem poteſtate in abſolutam & ſimplicem unitatem redeuntem: non enim hoc à Philoſophia, ſed ab ipſomet Deo, & Dei filio accepimus: irrideamusq; in hac re tãta Philoſophorum ineptias: delitias uidelicet Epicuri monogrammos Deos conſtituentis, ſine corpore, ſine farto, ſola circumcirca lineata deſcriptione, humanæ figuræ ſimiles. Stoicorum quoq; anum illã fatidicam contemnamus: Illud ſtrictum attingamus, quod ſanè non conceſſerit nemo: principio incognito, quæ ex eo principio gignantur

gnātur nequaquam poſſe cognoſci. Quod ergo non eſt rerū naturalium principium? num aqua, quod Thales poſuit? quanquam ille ueluti diuinans, quod ſiti atque æſtu eſſet moriturus, conciliare ſibi tanto honore curauit aquā: An aër, ut placuit Anaximeni? uel ignis, quod Heraclyto? item finitum principiúm ne, an infinitum? mobile, án ne immotum? Video maximas diſſenſiones. Nam atomi Democritica innumerabiles quotidie mūdos fortuitis concurſibus efficientes, conſumūt cogitationes noſtras immenſitate regionū, quas peruagantur, & turba corpuſculorum. Materiam porrò ſuam Ariſtoteles, quam ſine forma ulla, & ſine ratione eſſe uoluit, unde cognoſci poſſet: quomodo ipſe cognouit? Longum eſt enumerare ſingula: et patere tamen arbitror, ignorari Phyſica illis autoribus, quibus tractata ſunt: quorum ſimul ut quis ſententiam ſuam dixerit, non mecum ille quidem, ſed cum cæteris Philoſophis futurum

futurum ſit negociũ, clamore ac iurgio pro cõtraria parte tendentibus. Sapientiæ quidem in hac parte Philoſophię tantum abeſt, ut aliquid inſit, ut contrà ſapienter deliberet, qui hæc tanquam ingenijs noſtris longè exuperantiora omittẽda penitus ducat. Non enim profectò tantis ſeſe à nobis ſpatijs Deus abiunxiſſet, neq; tot aliud ſupra aliud circunduxiſſet; tam uaſta & diffuſa elementorũ corpora, igne quoq; poſtremò commutabilem mundum hunc uallaſſet, ſuperinduxiſſet irrequietos ambitus cœleſtium orbiũ tot, atq; tantorum, curſuq; eos immenſo, ac inenarrabili in gyrum concitaſſet, ſolidiſsima & firmiſsima compactos materia, ſi à nobis homunculis humi ſtratis, & in infimum locum deiectis percipi hæc omnia, & comprǽhendi uoluiſſet. Sed fac cognoſci: quid tandem quaſi noſtra intereſt? Chreme, tantum'ne ab re tua eſt ocij tibi, aliena ut cures, ea ad te quæ nihil attinent? Iure igitur Socrates ſcientiam hanc reiecit, uel

uel ut obſcuram, uel tanquam nõ neceſſeriam. Philoſophiamq́ peregrinantem procul à nobis, & in cœlo errabundam, credo hoſpitiũ quęrentẽ deduxit quaſi manu in ciuitatẽ, uerſariq́ꝫ inter homines aſſueſecit, eique pręfecit muneri, ut de bonis rebus et malis ad uitam potius pertinentibus inquireret. At enim ingenua eſt, & homine libero digna hæc ſpeculatio: cur non curioſa potius, & ei ipſi moleſta, cui te nimium ſtudeas inſinuare? An ego ſi quæ domi ago, & in cubiculo, ea curioſius quis perſcrutetur, feram moleſte? neque uerum arbitrer pati, ut meis intimis rebus ſpeculator immineat? & Deum perſuaſum nobis habebimus hac inani noſtra curioſitate delectari? Nam de principibus quid narrem? quorum ad Deum propius accedit imitatio? Regis Perſarum ferunt ſpeciem, & maieſtatem eiuſmodi eſſe, nihil ut illa auguſtius, nihil ſpectapilius nec cogitari quidem poſſit. Ipſum quidem Suſis, aut Ecbatanis ſe continen

ſem, abditum à multitudinis oculis, habitare regalem domũ admirabili opere perfectam, cuius parietes ex omni parte auro, ebore, electróque perfulgeant: ueſtibula porrò domus multa extare, amplaq́, ſeptis diſtincta pluribus, aliquot inter ſe ſtadiorum interuallo, muris præaltis, & æneis foribus munita, quorũ cuſtodes ſint eximiæ dignitatis uiri: è quibus principes & ſummates qui ſunt, duces, dynaſtæ, ſatrapes in primo proxime regiam aſsident ueſtibulo, cæteri deinceps ordine ſuo ſuccedũt, omnes magnifico cultu pro honorũ ſcilicet & dignitatis ratione. Ianitores deinde cum his, & qui oculi auresq́ regis appellentur Græco uocabulo apta coagmentatione ὠτακουσαί, quorum uſu ac miniſterio & uideat rex cuncta, & audiat. Tum aũt diſpoſiti ſuis locis, quæſtores, ſcribę, familiarum & uenationum duces, quiq́ adeuntium dona recipiãt, quorum quidem donorum innumerabilis quotidie ad regem confluat multitudo.

titudo. Deniq; operũ, negociorũq; cunctorum quæ ad gubernationem regni neceſſaria ſint, ſui cuiuſq; muneris curatores, atq; præfecti: ipſam autem uniuerſæ Aſiæ dominationẽ terminatã ab Occidente Helleſponto, ad Orientem Indis, per regna & nationes & ſatrapias tributam, præſidibus eſſe ornatam ſuis, qui ſe ſeruos magni regis cuncti cõfiteantur: tum infinitam multitudinem exiſtere curſorum, tabellionum, ſpeculatorum, nuntiorum, ac montanorum præcipuè ignium, quibus rerum nouarum ſigna, ſi quæ de improuiſo res accidant, & procul & properè dari poſsint. Quorum quidem omnium tantus ſit ordo, & ea celeritas, ac diligentia, ut quod in ultimis oris imperij nouatũ ſit, id eodem ipſomet die, ſuccedentibus ſibi inuicem nuncijs, ignibusq;, Suſis, aut Ecbatanis à Rege intelligatur. Ad hunc talem, tantumq; regem, inq; eius aulam, ſecretumq; cubiculum ſi quis aſpirare conetur, rimando & ſpeculando

ſingula curioſius, utrum ab eo initu-
rus gratiam, an offenſionem contra-
cturus eſſe uideatur? Quæ ergo au-
dacia eſt, nihil uereri Deum in eadē
cauſa, in qua pertimeſcimus regem?
& rimari ac indagere eius arcana co
nari, quæ ne ſi oculis quidem intuea
mur, quæ & quanta ſint, capere ani-
mo poſsimus? An non diuino ora-
culo eſt proditum, Cœlum cœli do-
mino, terram uero homini eſſe datā?
ut cùm eos fines, quibus circumſcri-
pti ſumus, agnoſceremus, extra hos
egredi, & ad ſublimiora euolare uel-
le non contenderemus. Sed de huius
ſcientiæ inutilitate, necnon uanitate,
impudentiaq́ eorum, qui tantum ſi-
bi ex ea arrogant, etſi plura poterāt
dici, tamen quoniam ſatis multa di-
ximus, tranſeundum ad mores eſt, in
qua parte maxime Philoſophorum
ſe iactat oratio, audēt enim (quid eſt
autem quod nō audeant?) palàm de
ſe prædicare, idq́ cùm ſermonibus,
tum in ſcribēdo aſſerere, ciuitates ab
ſeſe cōſtitutas, leges humano generi
datas,

datas, artemq́ totam, recte & ordine uiuendi à Philoſophia et inuentã, & perfectamfuiſſe. Habeo hiſce gratiã; magno enim errore ſum liberatus: quod enim antea ignorabam Philoſophum fuiſſe Romulum, qui hanc urbem, quam incolimus, omnium ſine controuerſia maximam, et multo præſtantiſſimam, condiderit: id nũc horũ beneficio ſcio. Velim tamen audire, ſi commodũ eſt, quam in Philoſophia ſectã fuerit profeſſus Romulus. Atqui huius ętati longè diſpares ſeptem illi, quorum nomen in Græcia floruiſſe diximus: necdum Philoſophiæ uox uſquam gentium fuerat audita, quũ Romulus ſingulari quadam, & penè diuina ſapientia præditus; ex eo uidelicet ſapientiæ genere, non quod iſti, ſed quod nos ſuprà deſcripſimus; anno, ut eſt literis traditum, ſeptimæ Olympiadis primo, Charopo Archonte Athenis, non ſolum condidit hanc ciuitatem, ſed etiam optimis exornauit & legibus, & inſtitutis, taleque ſtudium uirtu-

tis iniecit, ut ab eo primo inductu, ceu aquæ percuſſæ in circulos ſolēt, uſque ad ultimos orbis terrarum terminos imperium populi Romani fuerit propagatum. Et quoniam argutule uerba iſti captāt, in quo uno ſtudio illorum omnis opera conſumitur: teneamus ſtabilem diſtinctionē illam, rationemq; ueræ ſapientiæ, quam nos antea edidimus, diſiunctā ab horum inani, futiliq; ſapientia: ne ſimilitudine uerbi aberremus, neue quum quid ſapienter factum dicimus, id intelligamus Philoſophè (ut ſic loquar) eſſe factum: ſed prudenter, ſed ſtrenuè, ſed nauiter, ad laudem honorificè, ipſi illi qui fecerit, commode & utiliter. Conantur iſti quidem uno ſapientiæ uerbo inuoluere omnia, ſed reſiſtendum impudentiæ eſt, atque è duabus diuerſiſsimis unius uocabuli ſententijs, ſapientia nobis ipſa prehendenda eſt, illis ſapientiæ uox quædam relinquenda: qui primum quum de moribus ordiuntur diſſertationem, hoc

ueluti

ueluti fundamentum ſcientiæ ſuæ ſubijciunt, uirtutem in actione eſſe: neque intelligunt homines ſtultiſſimi damnari ab ſeſe primo ſtatim inceptu artem ſuam. Si enim uirtus in agendo conſiſtit, quid attinuit tot uoluminibus editis, quum de eiſdem præſertim rebus plures ſcribant, reuocare eam ad uerba, & pro ipſa uirtute, picturam quodammodo uirtutis amplexari? Scribis de uirtute, diuidis in partes, ſpecies ſingulas definis: diſputas in utranque partem, remque poſitam in factis & in uigore quodam animi naturali, ad concluſiunculas, & ſyllogiſmos traducere uis: atque idem dicas uirtutem non in ratiocinando cerni, ſed in agendo: quî potes magis tecum ipſe pugnare? Tibi itaque ergo credamus affirmanti, uirtutem abs te petendam eſſe, qui nō uirtutē teſte ipſo te, ſed ſimulachrum quoddam in tabulis deſcriptū obtines uirtutis. An Vlyſſes, cui tantopere laudi datur

ab Homero, quòd mores hominum multorum uidit & urbes, ſi nationes eaſdem, quas peragrando obiuit, eadem maria, in quibus toties naui fracta periclitatus eſt; ex deſcriptione orbis terræ in tabula depicta cõtemplatus fuiſſet, moresq; & ritus uariarum gentiũ aliquo narrante didiciſſet; ipſam illam haud iure eſſet laudem à ſummo poëta aſſecutus: & nobis perſuadebimus, ex uerboſis uolu minibus iſtorum, tanquam ex pictura, uirtutis officium & laudem nos poſſe conſequi? Atq; hæc ego perinde loquor, ut ſi iſti tamen aut de uirtute recte ſentiãt, aut in eo quod ſentiunt inter ſe ſint concordes: neutrũ horum eſt, et utrunq; nobis breuiter perſtringendum. Virtutes uolunt eſſe mediocritates: Quæro ergo, quę ſit iſta mediocritas? huius enim ſtabilem & certam ſi afferre queunt rationem, afferant aliquando, figantq; terminos, ac locũ ipſum ſignent, ut ubi ſit, et in quo cõſiſtat uirtus, poſsimus ad punctum conſtituere; ſin autem medio-

mediocritatem iſtã ſiram inconſtantem & uagam, ceu nauem fluctuante ſalo, anchoris quidem alligatã ne illidi ad littus poſsit, medio autem in ſpatio hucilluc decurſantem, uariari moribus, temporibus, opinionibus uolunt: nec eandem uibique, neque unam ſemper eſſe: quid nobis dat explorati atque percepti, horum uolubilis de uirtute definito? Sic enim, ſi recte recordor, inquiunt: temperantem eſſe, uerbi cauſa, qui his oblectetur, quibus oportet, & quando opus eſt, & quemadmodum decet: atque hanc uirtutem mediocritatem eſſe, intemperantiæ ex una parte: ea enim eſt, quæ ſe in omnes paſsim ingurgitat uoluptates: ſtupidatis ex altera, qua ſenſus hominis ad omnem guſtũ uoluptatis penitus eſt obtuſus. Quibus autem oporteat temperantem uti, & quando, et quomodo nihil certi nobis præſcribũt. At hoc eſt illud, quod maxime quærebam: quo ſine (autore te) nec uſus uirtutis ullus, nec ratio cõſtare poteſt. Itẽ quũ libe-

ralem in medio ſtatuunt auari, atque prodigi: fortē, qui ignauo, & audaci ſit interiectus: quid me docet de fortitudine, de liberalitate, de cæteris partibus, membriſq; uirtutis? me dixi? quid alium quenquam, qui quidem ſit illorũ ſcriptis & oratione ad uirtutē paratior? Nam ſi rogem eos, amabo hoc mihi expedite, utrúmne ſentitis uirtutē ſine Philoſophia obtineri poſſe, nec ne? Quid reſpondebunt? Poſſe annuent? cōfecta res eſt, profligatũ negotium: quo enim nobis iam erit Philoſophia opus? Negabunt? Quid fiet tot clariſsimis ducibus, optimis fortiſsimiſq; ciuibus, quorum egregijs teſtata operibus, nominis gloriã uirtus cum ipſa penè æternitate adæquauit? Horatius Cocles cum libertati ciuium ſuorũ, quã nuper expulſo Tarquinio rege comparauerant, uim fieri à Porſenna indignè ferret, ingruentem exercitum Hetruſcorum in primo ponte ſublicio ſuſtinuit ſolus, tamdiu, quoad pons reſciſſus à tergo, aditusq; ho

 ſti ad

ſti ad urbis mœnia intercluſus foret: quo facto, proiecit ſe in fluuium, & uulnere accepto incolumis tranauit ad ſuos. Quęro ergo, num ille hac definitione fortitudinis à Philoſophia inductus, tam memorabile facinus effecerit? an inſita magnitudine animi & conſtãtia naturali? Paulò poſt eiuſdem regis Porſennæ caſtra ingreſſus eſt Mutius, diſsimulato habitu, ut eum hoſtem, quem Reſpub. uniuerſa nõ poterat, ipſe unus ferro à ceruicibus patriæ depelleret: cuius inuictam mentẽ cùm cluſiſſet fortuna, ſcriba pro rege obtruncato, quaſi repetens ab ſeſe erroris admiſsi pœnas, dextram foculo iniecit, urique immoto corpoe eſt paſſus; hic quoque in laude, & in uirtute non mediocre profecto aliquid, nec ex iſtorum diſciplina, ſed omnia ſumma ſpectauit. Quid Marci Curtij illa de memorabili pietate dicam? qua compulſus in terræ hiatum ingentem, præcipitem ſe iecit, ut oraculo obtemperans labentem patriæ ſalutem

tem morte ſua ſiſteret. Eſt ea quidẽ accuratè à te & grauiter laudata; Sadolete, hexametris haud ita multis uerſibus: quorum lectione ita delector, ut memorię pleraq; mãdarim: nec uenio ferè ad eum locum, ubi ille cõſecrat ſeſe, deuouetq; Dijs inferis, ſalutem patriæ excipiens, quin miſericordia fortiſſimi iuuenis mihi animus deliqueſcat. Sic enim ſacris ritè peractis, inducis ipſum ad illum terræ diſceſſum horribilem, tanquam ad aram uictimã ultro accedentem: Ille autem (nam fata premunt, longasq; recuſant Ferre moras) coràm uacuũ progreſſus in æquor; Vt ſtetit abruptę titubato in margine ripę Pallidus, inq; atram deiecit lumina noctem, Rettulit os rurſum cœlo, ſublataq; tendẽs Brachia, in has ſupplex exoluit pectora uoces.

Cernitis conſtantem & certũ, ne ea quidem metuentem, quæ ſupra captum humanæ fortitudinis eſſe uideantur. Audiamus quid precetur: Dij patrij, quorum auſpicijs ſtat maxima

xima Roma, Et pater omnipotens, & noſtri ſanguinis autor Bellator Mauors, Vulcane, paterq́ Quirine, Veſtalesq́ foci, Ianiq́ biuerticis ora, Audite hęc, ſanctiq́ precanti aduertite numẽ. Deos teſtes inuocat, ad quos paulò pòſt ab hominibus eſt diſceſſurus. Atquid nã eſt, quo inuocet? Si qua (nefas) uirtutẽ odit crudelis Erinnys, Ad pœnamq́ uocat, fraus hinc communis abeſto, Vnus ego haud ſegnis dextræ, ne frigidus armis, Hanc animam inferno umbrarum regi, & Stygijs Dijs Deuoueo, lucẽq́ uolens, auraſq́ relinqno. Quid ita Marce Curti? aut quid tibi hac capitis deuotione expetens? num domeſticum aliquem utilitatis fructum? Nequaquam, inquit: Tantùm dura mei fugiant diſcrimina ciues, Hanc ſpem, quam patriæ incolumis dant fata, ſepulcri Et mortis comitem poſco, ac metũ ire ſub umbras. Ergo hæc te ſpes una conſolatur, morientem, quòd patriam relinquis incolumem. Quid Dijs inferis,

quam in te eſſe poteſtatem uis? Exe-
quamur deinceps, ut uideamus nihil
eſſe tam aſperum, quod frangere be-
ne à natura cõſtitutam, & maiorũm
diſciplina, non dictatis Philoſophię,
corroboratam animi fortitudinem
potuerit: Tum uos inſenſi inanes,
queis Romula uirtus Diſplicet, in-
uidiamq́ mouent ingentia facta,
In me omnes conferte iras, & quic-
quid acerbũ eſt In caput hoc quod-
cunque atrox, ſæuumq́ paraſtis,
Vertite ab excidio patriæ exitioq́
meorum, Ipſe luam.
Dignus cuius Iouẽ ipſum ſpectan
tem è Capitolio caperet miſericor-
dia: etſi ei tum iter illud non ad exi-
tium, ſed ad immortalitatem erat. ſe-
quitur enim -Simul hæc dixit, ſimul
aſtitit olli Conſpicuusq́ auro, &
Maſsyli pelle leonis Acre fremens
bellator equus, quo tendere in hoſtẽ
Primus, & obteſtantes incurſu rum
pere turmas Suetus erat, ſubitaq́
acies turbare procella. Hunc ubi
terga premens, dorſoque exceptus
amico

amico Impulit, & notis habilem tremefecit habenis, Nil mortale putans, animiq; interritus heros, Viſa hominis maior facies, procul ære refulget Sanguineo galea, & flammas rutila arma coruſcant.

Prouehor longius illecebra carminis: itaq; redeundum ad inſtitutum eſt. Hanc præclaram imaginem pietatis & fortitudinis, num è Philoſophorũ ſcholis putatis eſſe deprompta m? Deprõpſiſſe te dices, Sadolete; quanq; ego te arbitror ex poëtica facultate potius. Verũ ille quidẽ iuuenis fortiſsimus harũ rerũ tum rudis, patrij moris peritus erat, quo omnis omniũ erat ad uirtutẽ & laudem contentio. Non diſputo hoc loco quàm ſapienter manifeſtã in mortẽ ſe obiecerit: impetus fuit in illo animi ad gloriam ſingularis, cuius fructum nullum uiuus erat percepturus: piè quidem & fortiter certe. Quanquã huius ſimiles permultos quondam tulit hæc ciuitas: quos ſi Philoſophorum oratio, ac non habitus naturæ

præcla-

præclarus, atq; diuinus patrijs legi-
bus obtemperans, ad uirtutem ani-
maſſet, næ haud unquã hic locus or-
bis terræ imperio domicilium præ-
buiſſet. Quo ergo nos adiuuat horũ
ea, de qua iandudũ loquimur, me-
diocritas? quæ aut inutilis eſt, qđ in-
certa: aut irridẽda, qa nulla. Quid?
nónne uoſmetipſi commemorare
ſoletis, Stoicos nobilẽ in primis, ue-
ſtra etiam exiſtimatione, ueſtroq; iu
dicio, Philoſophorum ſectam, ſubti-
lius certe creditã, uelut ad examen,
perpendere ſingula: ſuſtuliſſe fundi-
tus omnem iſtam mediocritatẽ? ma-
gniſq; clamoribus à Philoſophis re-
liquis diſſentire? Atqui hi cũ ſtirpi-
tùs euellunt ex animis noſtris om-
nes affectiones, quòd ijs nulla ex par
te uolunt perturbari ſapientem; adi
munt profectò uirtuti campũ hunc
à ueteri Academia datũ, in quo me-
tando, capere medium ſibi ipſa lo-
cum, & ita demum profiteri ſe uirtu
tem poſsit. Etenim ſi nullus extiterit
animorum motus, nulla iracundia,
nulla

nulla formido, nulla moleſtia: ſi nullus flagrauerit ardor cupiditatum, inteſtinarumq́ appetitionũ: ſed conſtanter & firmiter ab omni uel tantulo motu partis in animo ratione carentis, auerſa ſemper erit et aliena ratio, mensq́ ſapientis: neque ea magis appulſu perturbationũ huiuſmodi, quàm ſaxum fluctu commouebitur: nihil erit omnino in uirtute, quod ex mediocritate ſpectari debeat: ſed in alia quadam facultate & ratione exiſtet uirtus. Si uerò & hos ad animũ ſapiẽtis pertinere motus, ac in eis ipſis mediocritate temperandis conſiſtere uirtutem, & Peripateticis, et ueteribus Academicis fidẽ habendum: alia tamen cõmodior, alia hoſce certior flagitanda definitio eſt: ut ſi doctrinam ſibi ſumũt uirtutis inſtituendæ: ſumãt uſq́quaq́, nosq́ certis ueſtigijs quaſi manu deducãt ad cognitionem perfectã: titubantemq́ iſtam mediocritatẽ ratione aliqua, tanquã uinculo conſtringãt: ut minime illis obſcuris, ſed claris et conſtãtibus no-

tis ea comprehendi à nobis poſsit:
neque eam reijciant ad tempora, &
ad occaſiones, quarum nunquam eſt
ſimilis neque eadem obſeruatio. Sin
autem quæ ſit in unaquaq; re tenenda
mediocritas, ſuo cuiuſq; conſilio
ſtatuendum permittunt: uerendum
credo, erit, ne qui naturæ bono &
ingenij ſui uiribus perſpicere poterit
quid ſit in quaq; re tenendum, &
quatenus: idem non intelligat fugienda
extrema eſſe, difficileq; ſtatuat
ieiunitatē, uitare & crapulam, cum
(in quo ineſt uirtus) quod medium
inter utrunq; eſt, eſcis & potionibus
uti ad corporis ualetudinem optimè
ſciat. Et tamen ſi tanti iſta eſt mediocritas,
eaq; ab his & ritè inducta, &
optimè percepta: cur ab ea tantū ipſi
uerborum & loquendi profluentia
diſceſſerunt? an cæterarum quidem
rerum modum, loquendi fines nullos
eſſe uoluerunt? At ego nil uideo
neque ſententijs ſapientium, neque
cōmunibus prouerbijs, loquacitate
notatum magis eſſe: quorum enim
eſt,

eſt, Multiloquio ineſſe ſtultitiam: nónne horum iſtorum, qui ſapientia uerboſius tradenda committunt in decretũ ipſi ſuum? Sectemur Philoſophos, uirtutis ab his uſum & diſciplinam petamus, inq́ eorum libris euoluendis tempus omne conteramus: ut quum uerba pro factis, uirtutem pictam pro uera fuerimus amplexi, tum in eo ipſo, quod turpiſsimum eſt (quid enim eſt graui & ſapienti uiro garrulitate fœdius?) ne in noſtris quidem definitionibus inſiſtamus: ſimulq́ aſſeramus mediocritatem, ſimul ipſi nimij ſimus: ut quod & uerba ſunt, & uerborum modus nullus eſt, utraque re à uirtutis præſtantia, & grauitate deſciſcamus. Atque hac definitione labefactata, quæ tanquam arx eſt totius horũ ſciẽtię, corruere quidẽ uirtutes cæteras extructas ſup mediocritate illa pręclara cernimus. Sed de ipſa Iuſtitia ſeorſum aliquid eſt dicendum: nõ enim hãc fortitudini, ſimiliter &

temperantiæ uolunt eſſe mediocrita tem:ſed mediocritatis potius in alio effectricem: ut ſi quis inferenda iniuria in ſuperiore loco factus ſit, mulcta dependenda ad æquum redigatur. Hic enimuero breuiter & expeditè quæro, Iuſtum naturáne ſit, an in legibus hominum duntaxat, & in opinionibus ac diſciplina: ſi enim à natura eſt, quæ fuit multorũ in Philoſophia principum ſententia, atque opinio, quodq́; idem in primis ſenſit Pindarus, Legem, inquiens, reginã mortalium omniũ, & immortaliũ, agere ius uiolenter præpotenti manu: ea re facere ſe coniecturam hanc, quod Herculem legerit, nec emptas, nec donatas Gerionis boues abegiſſe. Si inquam præſtantioris è natura eſt in inferiorẽ dominatio, & ad eius qui plurimum poſsit, arbitrium iuris tota ratio flectenda ac moderãda eſt: qui primum erit, quæſo, iniuriæ locus? ut quæ iniuriarum dabitur actio, quæúe recuſatio? ui enim dominante, omnis eueſtigio iuris regula, iniuriæq́;

iniuriæq́ſublata eſt: deinde ſequetur illud quoque, ut legibus ſcriptis parere ratio nulla ſit. Quid ita? quia quod è natura eſt, idē ſemper & uniuſmodi eſt: leges uero cùm uariæ, & commutabiles, tum plerunque inter ſe contrariæ: diſſentientes igitur à iuſto: ita ſi iuſtitiam naturalem tenere uoluerimus, quæ quidem uerè his & propriè erit iuſtitia, ius Quiritium legitimum, ac ciuile omne negligemus. Non ergo in hac humana ſocietate, neq; in his urbiū cœtibus, quos nos legibus ſæpe latis, eiſdemq́; & correctis, & immutatis, & antiquatis, & denuo ſæpe rogatis, regi, gubernariq́; perſpicimus, uerſabitur iſtiuſmodi iuſtitia: ſed alios extrà requiret homines, alias ciuitates. Nos uerò qui iure ſcripto æqualitatem illam ciuilem retinemus, à uera prorſus iuſtitia, cuius exemplum in natura quærendum eſt, alieni erimus? & hoc Philoſophus dicere audebit? ac euertere ciuitates, quas à ſe potiſsimum uult eſſe conſtitutas? Iure ergo

Athenis capitis ſæpe damnati, ſæpe acti in exilium, et antiquitus aliquot ſenatuſconſultis ab Italia ſummoti ſunt Philoſophi. Si uero, id quod uſu & uita magis comprobatũ eſt, Iuſtũ nihil habet omnino cum natura commercij, ſed opinionibus totũ & conſenſione plurimũ in unum cœtũ coeũtium conficitur: expeditior fuerit quidem de iuſto & iniuſto ratio. Sed huc nihil Philoſophiã conuenit aſpirare: non enim ad hanc quærendam agendamq́ iuſtitiã definitiones aut pręcepta Philoſophorũ, ſed ſuę cuiq́ ciuitatis leges & patrij ritus erũt cognoſcendi. In hac ſententia Ariſtippus fuit princeps Cyrenaicæ ſectæ, nihil omnino natura eſſe iuſtũ, iniuſtum, turpe, honeſtũ: ſed hæc expẽdi omnia & effici opinione. Senſit hoc idem Archelaus Socratis doctor: cui in Phyſicis conſummato, atq́ perfecto fides habenda eſt, tanquã nullam in natura, quam proferre poſſet, iuſtitiæ ſpeciem intuenti. At eiuſdem Socratis diſcipulus Ariſtippus: ut

candem

eandem de iuſto iniuſtoq; ſentētiam utriſque interiectum tenuiſſe Socratem poſsimus ſuſpicari: quum quod alteri tradidit, ab altero tulerit acceptum. Quanquā ſi Philoſophię cum legibus, quod quidem cōmunis utilitatis interſit, facienda eſt contentio, quid ſimile? ut fortem uirum exempli cauſa conſtituamus, definire fortitudinem eſſe habitum animi ferentem aſpera, & difficilia conſtanter, quatenus decet, & quando, aliaq; ſimilia multa, & legis iuſſa attendere. Miles qui ſacramentum iuſtum dixerit, ad ſigna frequens eſto, imperia ſeruato, acie ne excedito iniuſſu imperatoris: neue locum ab eo aſſignatum deſerito, niſi teli petendi, aut hoſtis feriundi cauſa: qui harum rerum migraſsit, mors pœna eſto. Nonne à lege hac uobis fortitudo, à Philoſophia oratio fortitudinis uidetur tradi? Eodem modo in cæteris. Eſt enim grauitas legis & authoritas in iubendo, atque uetando: Philoſophiæ uaniloquentia in hiſce rebus

omnibus ad diſceptationes & uerba reuocandis, quo eſſe nil poteſt à uera uirtute alienius. Marcus Cato ille ſapiens, qui etiam ex ſapientia hoc cognomen inuenit, antequam in hanc eſſet urbẽ Philoſophia perlata, cùm Carneadem, & Diogenem Philoſophos legatos ab Athenieñſibus in cauſa Oropi miſſos ad ſenatum, rem ſuę ciuitatis audiſſet orantes, perturbatus eorum oratione, quàm primùm cenſuit dimittendos, iuuentutẽ enim à ſtudijs militiæ ad eos audiendos cõuerſam eſſe, ſimulq́ intonuit, uelut oraculo quodam, Tunc orbis terræ imperio ciuitatem hanc ſpoliatũ iri, quum in ea eſſe honos Philoſophiæ cœpiſſet. Neque ille opinione falſus eſt, omnes enim poſtea huius præſtigiatricis, & tanquã ueneficæ introitu in urbem, induſtriæ nerui, & diſciplinæ ſoluti ſunt: nec antè deſijt è uirtute agere quiſquam, quàm de ea loqui didiciſſet. Sed quoniam nos quidem præclariſſimũ nomẽ hoc uirtutis à cognitiõe hominũ & diſciplina
non

non remouemus, quod eò è cõmuni uita, tanquam ſole è mundo ſublato, nedũ agendi ſplendidè, ſed ne loquẽdi quidẽ, uia & ratio ulla patere poſſit: quod antè fecimus de ſapientia, ut exponeremus, quidnã ea eſſet, ſententiam noſtram, idem nunc conabimur de uirtute: nec tanquam è Philoſophorum ſchola, quorũ ego nec probaui unquam, nec penitus noui artem, ab ipſoq́ primo limine tum nouis atq́ abſurdis ſententijs eorum tum iurgantiũ inter ſe, rixantiumq́ clamoribus fui repulſus: ſed tanquã homo in hac urbe diu multumq́ uerſatus, in qua quod omnibus aſſentiẽtibus uere dixerim, tota mihi & agẽdi ritè, & iudicandi ratio quũ inuenta fuiſſe uidetur, tũ tractata ſemper, atque perfecta. Hanc igitur urbem ipſam ſi uere, ſi iure, ſi merito laudibus efferentes, præſtitiſſe eam cunctis nationibus, quum conſilij & ſapientiæ gloria, tum uirtute atque factis exiſtimamus: rectè omnis fuerit ab illa in noſtram diſputationem &

 ſapientiæ,

ſapientiæ, & uirtutis ſpecies deſcri-
benda. Vt enim ſi quis fingendi artē
aut cælandi comparare eſſet medita/
tus, melius credo & facilius à Ioue
Phidiæ Olympio menſiones, conue
nientias, lineamentaq́ue deduceret, q̃
ex ullius ſtatuarij, ſi opus ab illo nul
lum proferretur, poſſet oratione: Sic
nobis ad indagandam, uel intuendā
potius uirtutem ac ſapientiam, non
Philoſophorum inanis ſermo, ſed ſi-
mulachrum nobile præſtantiſsimæ
ciuitatis debet eſſe propoſitū. Quod
igitur urbs Roma, uel ciuitas poti-
us, quæ hunc murorum cinctum,
quam urbem dicimus, incolebat, de
principio ſibi orbis terræ imperium
deſignauit, quarumq́ue rerum, atq; ar
tium uſu, atq; exercitatione illud po
terat comparari, eas res omneis ar-
tesq́ue adhibuit in diſciplinā, legibus
conſeuit, honore aluit, præmijs cor-
roborauit: idcirco nos ſapientiſsimæ
ciuitatis exemplum imitati, ſapien-
tiam eam deſcripſimus, quæ eſſet ea/
rum rerum ſcientia comparandarū,
quæ

quæ communi æſtimatione hominũ maximi penderentur: eas porrò res diximus opes, potẽtiam, imperium, gloriam: quanquam in uno fortaſſe imperio inſunt omnia. Sed quia non ſemper peruenitur ad ſummum, in quotoquoque uirtutis & ſapientiæ gradu inſiſtere exoptandũ eſt. Quoniam uero non in una ſapientia opis tantum eſt, ut à ſemetipſa efficere omnia ea poſsit, cumulateq; explere, & conſequi beatiſsimam uitam, niſi ad eius opus, munusq; quod in proſpiciẽdo eſt ac præſpeculando, tum finẽ quo intendit, tum uias atq; itinera, qua ad eum finẽ peruenitur, natura acris & uegeta adiungatur effectrix conſultorũ, quę fuerint deliberata ratione: idcirco ad ſuis omnibus et partibus eam, & numeris inſtruendã, quemadmodũ in corpore oculis manus, ſic uirtus in animo ſapientiæ neceſſariò comes & adminiſtra data ẽ, uis & efficientia quædã in animo cuiuſq;, qui quidẽ ſit ad res gerẽdas natus, uigorq; et diligẽtia naturalis, hãc

Græci δεινότητα, nos Latinè, & quidem aliquanto ſignificantius, nauitatem poſſumus appellare, inſitam illã induſtriã peragentẽ impigrè prudentiæ decreta: cuius cum ingenij, conſilijq́ lumine ſocietas & conſpiratio, nimirum illa chorum illum explicat, conſenſumq́ uirtutum, quarum Philoſophi duntaxat nomina, uiri fortes rẽ effectusq́ nouere. Nã ut ſeſe prudentia nauitasq́ coniũctè uel ad labores, periculaq́ dedũt, uel ad uoluptatem, uel ad pecuniæ uſum & tractationẽ: ita ſua in quoq; genere exiſtit, elucetq́ uirtus, tum liberalitas, tum fortitudo, tum temperantia. Ac ut in eodem exemplo inſiſtamus: non ſat fuiſſet profectò urbi huic, nec uidere, ſũmè omniũ eſſe expetendum cæteris gentibus imperare, nec uero quibus id rebus commodiſsimè agi & confici poſſet, etiã prouidere: niſi uirtutem, hoc eſt, nauitatem, & induſtriam ad agenda quę uiderat, adhibuiſſet: quam quòd adhibuit, & quidem ciuitatibus cæteris multo

multo magnificentius, iccirco cun/ctarum ſibi gentium peperit dominatum: imperioq; conſtituto, atque opibus omniũ ſuæ poteſtatis factis, finem nacta quo intendebat, effudit demũ ipſa ex ſeſe plurimas, & maxi/mas in omne genus hominũ utilita/tes. Siquidem ex loco & ſolo hoc, ex his ipſis mœnibus, non tã ſubſtructi one murorũ, quàm antiquæ maieſta tis gloria & religionis honore muni tis, omnis humanitas, omnis pruden tia, leges, iura, ritus ſacrorũ, cultusq; uitę lautior, omnes deniq; omptimę atq; honeſtiſsimæ artes in orbem lõ/gè & latè terrarum inundauere. Hac deſcriptione à nobis facta, quæ iam uera uirtus ſit, quóue ea ſpectet, tan quam ad finem quidem, & quid ſibi porrò expetat, arbitror uobis eſſe pa tefactũ. Nam quem iſti finẽ uirtuti ſtatuũt, ſi modo ſeriò id agunt, neq; illudunt expectationi noſtrę, eſt ſane cauſa quur dimoueamus: aiunt enim uirtutis finem, ipſam eſſe uirtutem. Quomodo hoc narrant? non enim

ſatis

ſatis quid dicant intelligo: ut uirtus ſibi ipſa finis ſit: hoc eſt, ut quærat ea, & appetat ſemetipſam. Quî fieri poteſt? aut cur ſe iã nacta, uel agat quicquam, uel moliatur ob adeptionem ſui: neq; potius iam contenta, & plena cõquieſcat: ut prorſus nulla à uirtute, ſi ita ſe habeat res, proficiſcatur actio? Nam quid ab ſe egrediatur aliquid operæ laboriſq; propter ſe ſuſcipiens? aut cur è complexu diuellatur ſuo, quo rurſus deinde redeat ad ſeſe, cùm iam in ſeipſa poſita et locata ſit? Nam quos nos illi fines propoſuimus, nõ illi quidem idem ſunt, quod uirtus: ſed uota, effectiões, præmiaq; uirtutis, ad quæ duce & comite uirtute, peruenitur. Imperium, & poteſtas, & autoritas, et gloria, opeſq;, miniſtræ earum cupiditatum, quas inſitas in natura hominis, ad eum modũ gubernat ratio, ut ſine damno, dedecoréue optata nobis ſuppeditantes, uitam iucundam & beatam efficiãt. In hæc aciem et lumen mentis omne intendit prudentia. Iuſtitia uerò, ſi

ſubti

ſubtiliter tota & penitus introſpiciatur, nihil aliud agit profectò, quàm ut comparata ſibi inter homines autoritate atq; fide, honoribus ultro, & præmijs cumuletur. Nam temperantia uoluptatibus abhibet modũ: non odio quidem, aut contemptione uoluptatum: ſed ut ſanitatẽ in corpore, tranquillitatem conſeruet in animo: quorũ altero aſſequimur ut de uoluptate ipſa liquidius iudicemus, quod ipſum ad guſtum eius & iucunditatem conducit plurimum: altero, ut diutius illa, & ſuauius perfruamur. Vna eſt uirtus fortitudo, quæ declinare aliquantum à lege ſapientiæ, & laboribus quandoque tolerandis, periculisq; alacriter ſubeundis, parũ commodi ſui rationem ducere uideatur; uerum tanta eſt lux eius illius glorię, quam ſibi habet propoſitam, ut quemadmodum in ſolis lumine colores cæteri diſcerni non facile poſſunt, ſic ſplendor laudis perſtringat ſæpe non ſolum fortunarum, ſed ſalutis etiam & capitis cogitationem.

Nec uerò Philoſophi non in fine ipſo titubauerunt: ijdem enim uirtutis finem, uirtutẽ: ijdem beatam uitam uirtuti, ut finem, ſtatuam uoluerunt: quod quidem probabilius dictu eſt; aliud enim neceſſe eſt finẽ, aliud eam eſſe rem, cui is ſit finis. Sed de beata ipſa uita quid ſit, aut ea in quo conſiſtat, quid eſt tandem ab his communi omnium ſententia quaſi feritatis lege ſancitum, in quod intuentes dirigere eodem rationes omneis noſtras, & conſilia totius uitæ conferre debeamus? O confuſam & perturbatam diſciplinę rationem, quæ ueritatis notionem profeſſa, in maximis errorũ tenebris uerſatur: & artẽ bene ac beatè degendæ uitæ ſe tradituram pollicens, non modò nihil certi dat, nec explorati, uerùm ſi quid à nobis uel communibus animi conceptionibus, uel ui ipſa naturę, quę omnibus ꝓfectò in rebus ualet una plurimũ, comprehenſum eſt, atq; perceptũ, id totum contortis quibuſdam rationibus, & fallacibus plerũq; argumẽtis

conuellit

conuellit ultro, & labefactat: ut neq; unde deducti ſimus, neque quò progrediamur poſsimus ullã in partem conſtituere. Quid inquã eſt ab his in re una omniũ maxima, conſtituẽdis uitæ noſtræ finibus, hoc eſt, uiuendi iure, lege, more, ordineq; tradendo, fixũ, firmũ, ratumq; ſtatutũ, quod ſequamur, quod et actionibus noſtris, & cogitationibus anteponentes, ritè rectéq; uiuendi officium omne expleamus? At quanta in finibus diſceptãdis tumultuantiũ certamina Philoſophorum ſunt? quanti ipſi tumultus? quomodo uariè et diſſentiẽtes, et controuerſę ſentẽtiæ? Voluptatẽ finẽ poſuit Ariſtippus, & eam quidẽ, quæ ſit corporis: quòd cùm dulci aliquo, et iucũdo motu in ſenſibus perfundantur, ſummum tum in eo exiſtere hominis bonum. Idem uoluptatis nomen in fini ſtatuẽda ſecutus eſt Epicurus, ſed aliqua in re ipſa tamen eſt diſſenſio. E contrario grauem, & ſeueram honeſtatem oppoſuit Zeno, eamq; uitæ beatæ dominam eſſe

h uoluit:

uoluit: ſpreuit autem penitus & abiecit uoluptatē. Neq; tantùm inter hosce contrariarū partium duces acris pugna eſt, ſed promouet uterq; acies ſuas, Cyrenaicas ille, Zeno autem Stoicas: nō ut diſceptantiū numero cauſa definiatur, ſed ut clamores & iurgia augeantur. At Calipho tanq; iudex blandior, litis fugitans, & ſe utriſq; uenditare cupiēs, uoluptatem coniunctā cum honeſtate ſtatuit eſſe finem: uacuitatem cum eadem doloris Diodorus Peripateticus: nā Hieronymi Rodij ſententia cauta mihi magis, quàm fortis uideri ſolet: ille enim una indolentia ſummi boni nomine honeſtanda, non tam adipiſci bonum, quàm uitare ſtuduit malū. Tribus autem tanquam finibus contineri beatam uitam, & ueteres Academici, & princeps Peripateticæ ſectæ Ariſtoteles uoluere: trinaq; ab illis genera bonorum inuenta, quæ animi eſſent, & quæ corporis, & quę fortunæ. Contrà Euclides Megarenſis, ipſe quoq; à Socrate, è quo Megarici

rici Philoſophi, ſummũ bonum eſſe quod eſſet unum, & ſimile, & idem ſemper: nec tamen illud quod nam eſſet, ſatis explicauit. Quid aut impatibilitatem Pyrrhonis (eam Græci ἀπάθειαν) aut ſcientiam Herilli, aut indifferentiam Aryſtonis: aut mentem, aciémue mentis, qua uerum cerneretur, quam Menedemus intulit, & ab eo qui ſunt Eretriaci appellati: in ponendis finibus commemorem? Qui quidẽ fines innumerabiles penè Philoſophis ſunt: ijdemq́ direpti ſæpe Philoſophorum inter ſe contentionibus, ſæpe ultro citroq́ ſtatui, rurſusq́ commutati, neutiquam adhuc finium regundorum ſtabile iudicium, nec certam menſionis notam tenuerũt: quoq́ magis tantas iſtorũ inſanias mirere, poſſeſſione neq́ uberi, & ea admodũ litigioſa: at ita fuſæ ſunt eorum & diſcrepãtes, ac ferè ad libidinem; contentionis ſtudio, de his ipſis finibus bonorum effutitæ ſententiæ, ut nemo meherçule ſit, neque ita orbatus animo, neque oculis

me bona ex parte uobis demonſtraſſe arbitror cuiuſmodi ſint, & quàm inania ab his, qui ſe magiſtros uolũt, & doctores ſapientiæ eſſe, non ſuſcepta ſolum, uerum etiam inconſtãter, leuiter, contẽtioſe, nequiter & diſputata & tradita: deq; parte hac, quatenus quidem pertinet ad mores, ſatis eſt dictum: quæ reliqua ſunt breui iã ſermone percurramus. Reſtat enim pulchella & concinna, non iam illa matrona, ſed meretrix Dialectica: De qua quid eſt cur iam multa dicamus? Etenim ea ſi corpus ſuum haberet, & propriam ſubiectam huic arti materiem in rebus & in natura poſitam, in qua ſe uerſaret, formamq; ſibi inde alicuius certę excuderet diſciplinæ, eſſet fortaſſis aliquid, quod cõtra eam ſerio dicere poſſemus. Nunc autẽ quid agamus? ſuſcipit illa iudicis, diſceptatricisq; perſonam. cuius munere decuriæ? Nullius: neque enim in albo prætoris ulla mentio, & ſuſcipit tamẽ, uerùm impudenter, neq; adeò huius indignitate impudentiæ

 ſtomachum

terminos, propoſitiones, ſyllogiſmosq́ fabricans, & ſyllogiſmorum figuras, tum ſimplicium, tum (ut uocat ipſa) connexorum: quas etiam memorię uidelicet, & docilitatis cauſa carminibus comprehendit, ſanè quàm lepidis. Atqui uideamus quã rem agat: Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo animal. Quid ad te Dialectice, homo animal ſit nec ne? hoc Phyſices eſt, & eius diſciplinæ, quæ rerum naturalium profiteatur notionem. Nihil, inquit: ſed exempli cauſa infero, ut argumenti uis intelligatur. Ergo tu ſerias res exempli cauſa affers, ut friuolas amplectare? Agam, inquit, alia ratione. Omne b, eſt a: Pulchrè: Omne c, eſt b: Probè: ergo omne c, eſt a: Admodũ. O libidinẽ effrenatã garriendi: tanti ne eſt hęc perplexa ueſtra cognoſcere? quorum perceptio difficilior eſt propter nouitatẽ nominum nimirũ, & contortionẽ argumentorum, quàm ſit cuiuslibet alterius ſcientiæ integra

diſciplina. Similia ſunt illa: Si eſt a, eſt b: non eſt, b: non eſt ergo a. Ne ſit ſanè. Quid enim quoniam quidem à ludo literarum diſceſſimus, noſtra quaſi refert? Verùm tu grauis planè iudex, ueri diſceptator & falſi, quid habes dicere, cur tua iſta ars aliquid ueri nos doceat, quum ſit inanis tota, nec habeat quicquam in natura rerum conſiſtens, quo tanquam fundamento niti poſsit? falſi uero uitandi, quî nos efficiat cautos, cùm ſi quid tamen agit, illud potiſsimum agat, ut captioſis & fallacibus concluſiunculis, ſi cui quid perceptũ eſt, & comprehenſum, id inuito, ingratisq́ʒ extorqueatur? Vnde enim Sorites? unde mentiens? unde illud Corneum, præclara ſophiſmatum, & cauillantium argumentorum nomina? nam ignauam rationem (ἀεργὸν λέγον uocãt Græci) optimè in hos conuenire nõ negarim, ueluti è qua omnis eorum uita dependeat. Sed quæro, num ſtatutum etiam nunc nauis illa 30 remorum in portu Athenis, qua uectum in Cre

in Cretam Theſeum Minotauro interempto, ſeptē illos nobiles pueros in patriam reduxiſſe incolumes fama narrabat, ſit'ne ea ipſa, quæ fuerat Theſei? an prorſus alia? cū quod ex ea uetuſtate deperierat, deinceps fuiſſet refectū? Quin & alia hiſce conſentanea: Eſt'ne tacentem loqui? nequaquam: at cùm lapidem loqueris, tacentem loqueris, acutè, quid ergo uetat lapidem eſſe te, etſi loquaris tamen, ſed quæ lapidibus digna? Item illud, Eſt ne ſanctè iurantē peierare? nihil minus: atqui iuratus ſe peieraturum, ubi peierauit, ſanctè iurauit: igitur tu, qui ueri tibi arrogas iudicium, horum teſtium, qui ut ſanctè iurent, libenter peierabunt, fidem dicto adiungendam putabis? Nam me hercule illud feſtiuum: Quo Coriſcū uerberari uidiſti, hoc Coriſcus uerberabatur: Næ, at uidiſti oculo Coriſcum uerberari. Cernitis ut plena omnia ineptiarum ſint, nihilq; ab hac diſciplina ſolidum, nihil ſit firmum: neq; aliud quid tamē, quod in uſum

prudentiæ aliquem, aut ſcientiam nos inducat, ſed in ea laqueos tantummodo & tendiculas confici captandis ingenijs adoleſcentulorum: quibus ſi qua antea ordine ſtatuta ſunt, mox deſtituantur: ut Penelopen telam ſuam ferunt quantum texuiſſet interdiu, tantundem nocturno opere retexentem. Eadem quum eſſent nomina rerum cauſa indicandarum reperta, primùm ipſa rebus omnino prætermiſsis, in ipſis nominibus uerſandis, ac citro ultroq; torquendis operam omnem ſumit. Deinde etiam alia ſibi fingit, tanquam ex argilla, & luto, quæ non rerum nomina ſint, ſed nominum. Tum autem toto iſto in genere uſque eò illudit tortuoſè, atque ambiguè, uſque eò ſibi in eo uehementer placet, ſi quem inexpectatò, & præter conceſſorum ſententiã captionibus includat, inopinantemq; irretiat, ut caſum pro caſu, genus pro genere, tempus pro tempore, nomen pro nomine permutet ſæpe, & apertiſsimè atq;

impudentiſsimè cauilletur, puerilemq́ſibi ex hac re gloriolam & laudem intempeſtiui acuminis quærat. Quapropter melius Zeno, quanquam & hic Philoſophus, attamen ille melius, quàm aut Menedemus, aut Stilpho, ipſi quoque probati in Philoſophia & clari, quorum in his ſophiſmatis & argumentorum fallacijs omnis induſtria cōſumpta eſt. Etenim Zeno, quum dialectico argumento eſſet ab adoleſcente quodam laceſsitus, atq; uti reſponderet efflagitaretur: Amabò noli, inquit, ad ſtudia me puerlilia reuocare. Stilpho autem tantùm in his nugis poſuit, ut capta per uim patria, quum admoneretur à propinquis, ſi quid de bonis ſuis ſeruatum uellet, extra urbem ut efferret, reſponderit, omnia ſe bona ſua ſecum ferre. Quanto hic arti ſuæ plus autoritatis contuliſſet, ſi illaqueaſſet argutijs Demetrium regem, ne quod ille inſtituerat, Megaras urbem opulentam militibus diripiendam permitteret.

Nam

Nam Menedemi fertur illud in primis: Alterum ab altero alterum eſt: prodeſſe alterum à bono: igitur prodeſſe non bonum. Dignus cui Rex Macedonũ Antigonus, qui in hunc Philoſophũ plurima contulit, nunquam quicquam prodeſſet: ut quod non erat bonum, eo illum ne afficeret. Sed hæc friuola, eaq; innumerabilia, quippe in queis tota iſta ars & ſtudium eſt ſitum, prætermittenda nobis ſunt: finisq; faciẽdus, tũ quòd ſatis iam de tribus partibus Philoſophiæ diſputatũ eſt, omniũq; inutilitas & uanitas demonſtrata: tũ ut ne in idem ipſi uitium garrulitatis incidamus, quod in his reprehendimus. Reliquum nũc eſt, idq; extremũ ut uideamus quid afferant, nõ dico iſti, qui Philoſophiæ palam omnem honorem tribuũt, qui ſine illa arbitrantur nullius eſſe momenti uiuere: nã hi quidẽ ſua ſtultitia dupliciter mulctati ſunt, & quòd ineptiſsimis in rebus tempus omne ſuũ, & ſtudiũ diſpoſuerunt, & quòd ne hoc ipſum

quidem

quidem intelligunt, ſe oleum (ut dicitur: & operam perdidiſſe) Sed qui cùm tantùm Philoſophiæ non deferant, affirmēt tamē nō eſſe illiberale hæc ipſa cognoſcere: ſcientiam enim omnē in partē bonorū eſſe: ita Philoſophiæ ſtudiū, ut nihil magnopere proſit, tamen nihil obeſſe; Qui mihi uidentur non ea loqui, quæ ſentiunt, ſed quia ſi plena manu collaudent Philoſopiam, ſibilum metuūt, cùm cupiant diſsimulare, uereri ne ipſi quoque ad Philoſophorum numerū irriſione uulgi aggregentur, ſi qui præſertim prouectiore iam ætate hoc faciunt, nam pueris & adoleſcentulis (dicam enim ingenue quod ſentio) hæc quidem conceſſa ſit poteſtas Philoſophos tantiſper ſectandi, omnis enim illam ętatem decet ludus, quod non grauitas ab ea, non conſilium poſtulatur: quin habet aliquam indolem ingenij, aliquod ſpecimen ingenuitatis iſta ipſa in pueris, ut balbutiendi, ſic etiam Philoſopandi grata intuentibus naturæ

turæ inchoatio: uerũ ubi grauiores anni accedunt, diesq́; ipſa aliã uitam affert, alios mores poſtulat, perſeuerare in his rebus, & ludicris exercitatiũculis ſerias res poſthabere, ſummæ nõ ſolum ignauiæ, uerum etiam amentiæ eſt. Etenim nobis poſita eſt ante oculos uita communis, quę nos incendere habeat ſtudio, & cupiditate earum rerum aſſequendarum, in quibus cunctorum ſtudia & cupiditates flagrare cernimus: Sunt honores, qui ſpecie ipſa pulchritudinis & dignitatis alliciũt ad ſeſe animos noſtros, & aduocant: Sunt imperia, in quibus conſtituti qui ſunt, cùm Deorum quaſi ſimilitudinem uideantur referre, fruũtur cultu multitudinis, & magnitudine potentiæ ſuæ: Sunt opes atq́; diuitiæ, ſubſidium uitæ, ornamentum ocij, uirtutis atque prudentiæ neceſſaria ſupellex, ſolatium in laboribus, auxilium in periculis, quarum qui potiuntur, ij neque ullã ipſi fruſtra ſuſcipiũt cupiditatem, & cæterorũ quoq́; cupiditatibus libera-

liter inſeruiēdo, ſtudia ſibi hominū, & uoluntates ad quodcunq; libuerit perficiēdū, adiungūt: Eſt autoritas, atq; exiſtimatio, quā qui in ciuitate ſua obtinēt, fide ſibi apud omes com parata, facilius & tutius, tanq; inob/ ſeruatis ueſtigijs, quo intenderint, poſſunt peruenire: eſt deniq; tota illa domi ſplēdida, in foro illuſtris, ad po pulū gratioſa, in ſenatu grauis ratio uitæ, atq; deſcriptio: quæ cùm ſibi in omnes partes cōgrua & cōſentanea fuerit, cumq; ea ſe ingenij, & fortunę munierit apparatione, ut beneuolis gratiā, inimicis metū poſsit afferre: neq; aut propter debilitatē animi in aduerſis rebus ſuccubuerit, aut prop ter inſolentiā in ſecundis immodera tius fuerit elata: ſed eū ſemp tenorē, eā conſtantiā adhibuerit, ut neq; ani mo unq; labefiat, nec conſilio: admi rabilē quandā ſpeciē profert ſummi & excellentis uiri, qualem nos omni iamdudū ſapientię laude decoratum eſſe uolumus. Atq; hæc tot atq; tāta, quæ qui hominis prima & pręcipua

eſſe

eſſe negant, homines mihi nō uidentur ipſi, cùm optabilia ipſa per ſe, & ſuapte ui expetēda ſunt, tum hoc magis inflammāt mentes noſtras ad appetitionē ſui, quòd omnium ſtudijs atq; uotis uehementiſſimè cōquiruntur, incitamur enim omnes profectò ſimilitudine et æmulatione quadam ad id certatim agendū, in quo uideamus ab omnibus certari, ut in eo maxima prorſus uis natura eluceat. Quis enim in ſtadio currentibus ſubitò cæteris, non continuò ipſe animatur ad curſum, ut etiam ſi ſe tenere uelit, nerui nihilominus uenæq; turgeſcant, & tanquam ſignum expectantes pulſu uegetiore ad proſiliendum concitentur? Quis aut in lachrymis circunſtantiū ſiccos, aut in plauſu et lætitia merentes tenuit oculos? cui quamuis timido & inſolenti ſonitus tubarum, & Martius ille clamor prælium poſcentium militum, non perfudit animū alacritate quadam, ut ad eadem arma tractanda cupiditate tacita inuitaretur? Quę aut

proximorum metus ad formidinē, aut fiducia ad ſpem non iniecit: ac ut breui comprahendam, id quod in fidibus lyræ uidemus accidere, ut ſi contentæ duæ eiſdem tonis fuerint; alterno pulſu reſonent inter ſe: ſic cū in omnibus rebus, quæ natura eadē communicat, tum autem in hominū genere, in quo præcipue, tanquam in pulcherrimo & nitidiſsimo ſpeculo natura cernitur, magna uis eſt ſimilitudinis, eaq; maxime naturalis: cui qui repugnare conantur, nec eodē curſu ferri, eadem cum populo opinione atq; ſententia ſe permittūt regi: ij Philoſophiam non ſapientię, ut ueritas ipſa conuincit, ſed amentiæ & peruerſitatis amplectuntur rationem. Quod ſi hæc ipſa, quæ modo numerauimus, eximia atque ampla, luſu quandoq; & temeritate fortunę non ad induſtrios & laborioſos homines, ſed ad deſides inerteſq; deferuntur, non tantam tamen afferunt iucunditatem, ut ſi ſint eadem ſtudio & labore quæſita: mirabile enim eſt

quantopere his delectemur, in quibus ipſi elaborauimus: & quàm omnis magis nos afficiat uoluptas, quã aliqua moleſtia anteceſsit, & ſolicitudo: uel quia omnis boni maliue, ſuauis ac moleſti iudicatio, in comparatione quadam eſt: uel quòd bona noſtra, quæ ingenio autore nobis effecimus, chariora multò nobis ipſi ſunt, quã quæ à fortuna accepimus: nihil quidem natura ut ſit fructuoſo labore iucundius: ſed quẽ in hac tanquam acie populari, in tanta uarietate & copia rerum ampliſsimarum, quibus quidem intermixtę ſint difficultates non mediocres, odia, pericula, contentiones, inuidiæ, apte & nauiter uerſari oporteat: profectò cernitis cuiuſmodi eum eſſe neceſſe ſit, acrem, firmũ animi, cõſilio cautum, celeres motus habentem, non ſolum mentis atq; ingenij, ſed corporis etiã atque oculorum: ut tectus ipſe & ab omni parte munitus, quatenus quidem expediat, inimicis pericula, amicis commoda creare poſsit. Pro-

trahamus

trahamus nunc mediũ in forum conſuetudinemq́ communem Philoſophos iſtos ueſtros, ut quam Philoſophiæ debeant gratiam ab ipſa inſtituti & aliti poſsimus coràm conſtituere. Ac primum hos nõ tanquam ex equo Troiano claros duces, ſed uti narrant eos eſſe, qui ſub terram aliquandiù fodiendis metallorũ uenis detenti ſunt, ſqualletcis & horridos, ſordida barba capillóq́, cadaueroſa (ut ille inquit) facie eſſe reperietis, qui primo ſui aſpectu moueant admirationem, ut percontentur homines inter ſe, illudq́ Plauti habeant in ore, unde eſt iſta auis? Et hercule, quoniam quidem auium mentio facta eſt, non maiores ad noctuam mirantium auicularum, quàm ad hos barbatos concurſus uulgi fiunt. Expectatur itaque ab his nouum aliquid & inuſitatum ſimile habitus & coloris, & eius quam gerunt frontis, ac ſupercilij. At illi tanquã modò de tenebris extracti, ne rectis quidem oculis diem & lucem intueri

ualentes, perinde ac cunctos paulò
antè habuerint participes inaniũ cu-
rarum & cõmentationum ſuarum,
effutiunt eueſtigio aliquid, aut de ſci
entiarum uarietate inter indoctos,
aut de prudentia inter fatuos, aut de
iuſtitia inter eos, quorum nunquam
futurum eſt iuris partẽ ullam admi-
niſtrare: & hactenus quidẽ ferũtur,
quod ad uultum quidem attinet, atq;
uocem: nam odore corporis nõ ſunt
ferendi: uerum ubi ipſis uiciſsim ali-
quid earum rerum tractandum eſt,
quas uita poſtulat cõmunis, uſq; eò
apparẽt abſurdi in omni genere atq;
incompoſiti, tantosq; riſus concitãt,
ut conuerſo quodam, & præpoſtero
modo, quæ paulò antè Philoſophi
ſpecies contractionem animi & tri-
ſtitiam denunciabat, ea nunc rurſum
pro ridiculo & delectamento omni-
bus ſit. Quapropter mirari ſatis non
queo, quid Platoni in mentem uene-
rit, Socratem doctorem ſuum ſic ui-
tuperare: ſiquidem in Gorgia quaſi
gloriari uidetur Socrates, quod cùm
tribus

tribus ſua prærogatiuam ferret, atq; ipſi ſorte contigiſſet, ut cuſtos eſſet ſuffragiorũ, punctorumq; numerũ ad cõſiliũ deferret, ſe quod aptè id facere neſciuiſſet, totius populi riſum concitauiſſe. Atqui riſerint ſanè tũc illi haud iniuria inſcitiam ineptiasq; Socratis: ego quod ipſe de ſe hoc prædicet, & uelut gloriando cõmemoret, non ſolum riſu, ſed maxima irriſione dignum puto. Quanquã quid in uno inſiſtimus Socrate, cùm turbam legamus Philoſophorũ tantum ſibi aſſumpſiſſe licentiæ, uſqueadeò à pudore, à modeſtia, à cõmuni uſu hominum, ab ipſa lege præſcriptioneq; naturæ abfuiſſe, ut ſine ullo rubore, uelut animo abalienati, ea palàm in foro ipſo, in cœtibus hominũ facere & perpetrare auderent, quæ nos in concluſis, & ſemotiſsimis cubiculis uix audeamus: quæ ne aperte cõmemorem (equidẽ pudore impedior) quum illi homines planè lauti atque mundi ita porrectis digitis ratiocinando concluderẽt, nihil eſſe re uera

turpe, nec cũ rubore agendũ, quod neceſsitatem uel etiam cauſam haberet naturalem: ita quorũ nos propè parietum ipſorum ac noctis conſcientiam formidamus, in ijs illi & populum & lucem uolebant habere teſtem. Verum ſit hoc genus quoddã ineptum & rude Philoſophorũ, qui ſine mente, ſine ingenio, lingua tantum uolubili & concitata, nec quando, nec quatenus, tanquam qui in tenebris uixerint, nec uerò quid, aut etiam apud quos penſi quicquam ducentes, ludos ſe maximos reddũt hominibus: ijdem omnium prædæ & contumeliæ expoſiti: quod quidem non iam liberi hominis, ſed abiectiſſimi mancipij eſt exiſtimandũ. Sunt alij odioſiores, qui dum uolunt concinni eſſe, atq; urbani, primũ iſti ipſi Philoſophiæ (cuiuſmodi ea cunque eſt) nõ uerè, neq; ex animo, ſed oſtentationis cauſa dant operam: domi otioſi & deſides, in compitis lectioni dediti, ſemper aliquid librorum in manibus habentes, commurmurantes

tes ipſi ſecum, & tanquam ad ea quæ legunt acrius animũ attendant, nũc collum ſubrigentes, frontemq́ & ſupercilia conduplicantes rugis, tanquam ſcopulo in legendo, ſic ambiguitate aliqua offenſi, mox cõtinuò exhilarati, nutu ſignificantes quod obſtructum aliqua difficultate fuerat, ingenio eſſe patefactum: interdũ conſtrictis & compreſsis buccis admirationem in uultu deformantes, quaſi præclarum aliquid inuenerint tum maxime atq; diuinum: ſæpe cogitatione tacita in obtutum oculorũ defixi, ſuſſurantes interim oculis, ſi qui fortè prętereuntium obſeruet ſe, & diligentius intueatur: ijdem in circulis et corona, ubi ad diſceptandum aliqua de re eſt uentum, contentione pertinaci tantis rem agentes clamoribus, ut facile appareat, nihil eſſe tam diuerſum, neque tam diſcrepans, quàm à uita Philoſophorum orationem: Hi ipſi cùm ſe ad familiaritates hominum, præſertimq; locupletum, & ad conuiuia ſodalitiorum

dediderint, tanta in utroque intemperãtia feruntur, ut nec poſcendi unquam modum, nec ligurîendi finem ſtatuant: ſæpe etiam madidi uino & ſemiſomnes è conuiuio auferantur: atque dum ſe urbanos uolunt oſtendere, quod nulla ſalis neq; facetiarũ norunt condimenta, aut apertè & aſperè maledicunt abſentibus, aut in præſenteis turpiter & conuitioſè inuehuntur: nec uerò lucello aliquo oblato non omnia perpeti animum inducunt, quę fœdis aſſentatoribus, & leuibus paraſitis ſæpe ſunt propoſita: ut non oblitos uultus ſolũ, colaphorũq; meſſem perferãt uberẽ: ſed aulas quoq; interdũ, quemadmodũ poëta ait quidam, in caput ſuũ commeare patiantur. Horum nimirum turba fores Dionyſij tyranni refertę fuerũt, quum ille neſcio quibus propoſitis pecuniolis, Philoſophorũ undique greges atq; examina, & in his tanquam regem apium Platonẽ ad ſeſe illexiſſet: ubi tum, quęſo, erat uirtus, ubi continẽtia, ubi illa tantopere

laudata

laudata & expedita libertas? quam prodebant ultro ipſi profectò, quum ſe ex Sophocleo carmine in domum poteſtatemq́ tyranni, hoc eſt, in ſeruitutem dabant: nempe tota in libellis relicta domi, in queis omnis ſemper Philoſophorũ ſapientia fuit: nullam eius partem in animo, nullam in uita gerebãt: itaque per abuſum contemptũq́ tyrãni, adigebatur ſubire ea, & perpeti, quæ ne liberis quidem mulierculis ducerentur tolerabilia: ut & procumbere in faciem adorantium geſtũ, & in conuiuijs nudi, uel muliebribus ſtolis induti ſaltare cogerentur: quanquam erant ex eo numero, qui iocis & cauillis eleuare conarentur tantam illam impoſitã Philoſophiæ contumeliam. Tertium genus eſt eorum qui ingenio acutiore, animo aliquantum ſublatiore à natura inſtructi, quum ſe de principio uel parentũ culpa atque inſcitia, uel fortuito caſu aliquo ad Philoſophiã contulerint, multumq́ in ea temporis, optimamq́ partem ætatis conſum-

pſerint, nec ſapiantia ſibi ex ea com-parata, quod uerbis & ſyllogiſmis ſapientia non traditur: nec uſu, more, ſtudijsq; hominum ſatis perſpectis, proptérca quod in illo inani ſtudio occupati, ſerijs rebus operam dare nequiuerunt: ubi tanquam è ſomno expergefacti referre inſtituunt ſeſe ad ciuiles occupationes, conſuetudineſq; communes, profundunt ex ſe ſubito agmen ueluti omnium cupiditatum, furenteſq; ambitione importuna, ac ſummum in locum quoquo modo aſcendere inſtituentes, nō callidè neq; diſsimulanter (nō enim aſtutè apteq; conſilia exequendi, aut artem ullam nouerūt, aut modum) ſed uaſtè, atq; perfractè perrumpūt, omnia cædibus, incendijs, rapinis: nihilq; ſibi faciūt reliqui, dum ad eum perueniant, quem cupiditatum duntaxat exatiandarum cauſa appetierint principatum: ut quidem nulla uſquam maior, quàm ab hoc genere hominum pernicies atq; calamitas liberis ciuitatibus & Reipub. inuecta noſcatur.

noſcatur. Declarãt hoc ueteres Græcorum hiſtoriæ, quæ ex eorum numero multos, quos ſapientium nomine inſignes fuiſſe diximus, ciuitatibus ſuis cladem & ſeruitutem prædicant intuliſſe: Quorum in primis unus è ſeptem Periander Cypſeli nobiliſsimam ferè totius Græciæ altam urbem Corinthum tam ſæua tyrannide tenuit oppreſſam, ut poſteaquã cædes ciuium maximas feciſſet, matronas palàm die feſto atque ſolenni omni mundo muliebri perornatas diſpoliaſſet, ſacra profanaq́ꝫ om̃ia ad ſuum cõmodum libidinemq́ꝫ cõuertiſſet, miſerit ad extremum nauim onuſtam puerorũ nobilium, qui exeandi donabantur, neſcio ad quem barbarum regem: quæ poſtrema nimirum ciuitati illi calamitas incidiſſet, niſi eos ipſos pueros in nauigãdo Iunonis Samiæ numen, & religionis illius cerimonia liberaſſet. Quid illas deplorem omnium artium ingenuarũ inuentrices Athenas (quæ cũ è ſatis amplo potentiæ & dignitatis gradu

gradu in humilem locum eſſent deie
ctæ, quum multas domi ſeditiones,
multos exterorũ hoſtium incurſus,
plurimas inimiciſsimorum regũ &
finitimorum Philoſophorũ iniurias
pertuliſſent, nunquam tamen adeò
grauiter affectæ, necꝗ tantis ſunt exi-
tijs & calamitatibus afflictæ, & per-
ditæ, quàm quum ab Ariſtone Phi-
loſopho in acerbiſsimam ſeruitutem
fuerũt redactæ: qui homo ſceleratus
et impius, omniꝗ belua longè imma
nior, quum ſtupris, & ui nefaria om
neis ferè familias nobiles dehoneſta-
uiſſet: ciues qui uirtute atꝗ ingenio
præſtare uidebantur, exilio partim,
partim cædibus ſuſtuliſſet, omnium
bona atque fortunas prædam ſuam
duxiſſet, permiſiſſet ſeruis Thraci-
bus & barbaris poſsidendã urbem,
ad extremũ obſeſſus ab exercitu Ro
mano, L. Sylla duce, maluit ciuitatẽ
omnium clariſsimam interire ſecum
direptione atque incendio, ꝗ unus
ipſe cedendo liberam incolumemꝗ
relinquere. Hæc ſunt præclara, atꝗ
eximia

eximia Philoſophiæ iſtius ueſtræ documenta: ſic ab ea uirtus hominibus & ſapientia traditur: tales ab ipſius cura atq; lacte prodeūt alumni, qui nec rectam ipſi uiuendi rationē ullā tenent, nec ſi ad poteſtates & ad imperia efferant, cæteros ſinunt tenere. In hac deniq; ars eſt, & ratio, & conſilium, & autoritas bene, beateq; uiuendi: è qua qui progrediuntur, & ſe dant in conſpectum, aut tarditate ignauiaq; perridiculi ſunt, aut ſcelere atque malitia nobilitantur. Quanquàm quid ego de uiuendi ratione Philoſophiam inſector? quum ipſa ſe mortis commentationem eſſe dicat? utinam quidem eſſet, ſicut in Cleombroto Ambraciota fuit, quem ferūt lecto Platonis libro de immortalitate animi, uale ſoli dicentem (ut in Græco epigrāmate eſt) in mare ſeſe ex altis rupibus præcipitauiſſe: eandem uiam tenerent cæteri, neue commentatione tā diuturna indigerent, diſcederent aliquando è medio nugaces iſti, ſuaq; nos obtundere loquaci-

tate

tate deſinerent. Sed fortè expectant illud eis dum obijciam, in quo maximè gloriari ſunt ſoliti, infeſtã in primis & inimicam religioni eſſe iſtorũ artem. Quod mediusfidius nõ faciã: neq; ullam in hos ex aris atque templis, ſed ſuis ipſorum, & proprijs ex criminibus inuidiã colligam: ſimul locũ haud præbebo oſtentandi ingenij, inq; eo gloriandi, quaſi longè & multò plus uideant ipſi, quàm nos faciamus, qui maiorum inſtitutis & legibus facilè acquieſcimus: idcircoq; ob eam rem imperiti ab his, et idiotę appellitamur. Sed per deos immortales, erit ne aliquis ad ſpes magnas inſtitutus, qui in hac uaniſsima, inertiſsimaq; ſcientia ætatem rectè conteri putet? q ueras arteis, ſtudia grauia, occupatiões illuſtres, quibus ad commoda uitæ, & ad dignitates aditus ſit, poſtferendas eſſe ducat fictis & commentitijs iam nõ illis rerum, ſed uolitantiũ quarundã opinionum ſimulachris? fora relinquat, ut domi ſit deſes? cõſuetudinibus uiuentium

carcat,

careat, ut cum mortuis fabuletur? ea quæ ſunt, & quæ extāt in promptu, ingenio induſtriæq́ parata, contemnat omnia, dum quæ uel nuſquam ſunt, uel ſi ſint, utilitatem tamen aliquā hominibus afferre non poſſunt, inani ſtudio conſectetur? Quæ ego omnia tibi in primis, Sadolete, prouidenda eſſe cenſeo: illudq́ maxime uidendū, ne in tua iſta Philoſophia, quam ceu ſororem oſculari unanimem uideris, longius progrediare, quàm ut pedem poſtea referre facile queas. Non ornat ea homines, ſed contaminat: nec inſtituit ad uirtutes bonum ingenium, ſed corrumpit. Quod ſi tu neq; amicorum monitis, neq; eis, quas ſuprà aduerſus eam attulimus, rationibus facile cedis: etiámne ſpem tuorū, quæ in te uno poſita, & opinionem principum uirorum, quæ de teipſo ſuſcepta eſt, falli omnino ſines? Habes optimū & clariſsimum uirum patrem tuum Ioannem, qui quū ingenij memorięq́ gloria, tum iuris ciuili ſingulari quadā

ſcientia quũ præſtet omnibus, haud profectò tantùm in te erudiendo ſtudij & laboris impendiſſet, neque te à ſe diuelli fuiſſet paſſus, niſi huius urbis, & curiæ cõmercio, honores domum te, & fortunæ præmia referre uoluiſſet. Habes patronũ, ad quem te applicuiſti, ſumma grauitate, ſumma ſapientia, genere, honore, exiſtimatione, copijs, ſacri ſenatus principem Oliuerium Carrapham Pontificem Neapolitanũ, qui admirabili qua eſt prędítus prudentia, docere te poſsit, quæ ſit uia ad nomen & ad decus in ciuitate obtinendum maxíme accõmodata: ut tibi exemplũ degendæ uitæ idoneum quærenti, grauior non ſit autor requirendus: quæ ſi ualere cuncta apud animum tuũ ſines, neq; ſanis eorum, qui te diligunt, & fidelibus conſilijs obſtrues aureis tuas, & auguror mecum certus, & tibi ſpondere non dubito, magnum in te ornamentum domui & familiæ tuę, magnum amicis cõmodum, ciuibus tuis præſidium paratũ fore. Hic ille finem

finem quũ feciſſet, nosq́ aliquandiu admiratione defixi ſilentium teneremus. Gallus. Quid eſt, inquit, Sadolete, ecquid tibi Phædrus uidetur, non ſubita neq́ improuiſa, ſed & accurata & præmeditata oratione ad euertendam Philoſophiã acceſsiſſe? Quantum in illo copiæ, quantũ neruorum fuit? Equidem intelligo magnum tibi onus reſpondendi eſſe impoſitum, neq́ adeò, quod tam difficile ſit pro Philoſophia, quàm cõtra Phædrum dicere: ſed tollendũ id tamen, ne & noſtra ſumma, quæ nunc pendet cùm maximè, per te deſtituatur expectatio, & tu eam, cui te totũ dicaſti, quamq́ ego etiam te autore complexus ſum, hoc maximè neceſſario tempore prodas Philoſophiã ac deſeras. Tum ego. Id, inquã Galle, tacitus mecum nunc meditabar: nam ſi aliàs unquam in dicendo fuit aliquid Phædrus, hodie mihi uiſus eſt ſe ipſo longe fuiſſe ſuperior: nec uerborum ſolum ubertate, & ſententiarum, quibus omnis eius referta &

locuples redũdauit oratio: ſed quod earum Philoſophiæ partiũ, in quas inuectus eſt, omnium mihi uiſus eſt eſſe peritiſsimus. Itaque aut deſiſtamus aliquid contrà, aut longius nobis ſpatium ad cogitandũ ſumamus. Minime, inquit Citrarius, neq; ego à te patiar deteriorem in locũ, quàm nũc ſit, Philoſophiam tuam deduci: quæ ſi tua hac ſubita dictione defenſa, & aduerſus torrentem orationis, qui modo ab ore Phædri profluxit, ſtabilis & firma retenta fuerit, erit cauſa, cur de illius grauitate & præſtantia amplè exiſtimemus: ſin aliquid offenderit, aſcribetur tempori & inapparitioni culpa, non Philoſophiæ. Quamobrem aggredere quæſo, & da te in certamen, in quo tibi, ut ego quidem ſentio, nec turpe eſt uinci, & perhoneſtum uincere. Conandum nobis eſt, inquam, quandoquidem uos ita uultis. Volumus, inquit Gallus, neq; eſt aliud quicq;, quod uelimus potius. Sed quoniam æſtus increbreſcit, nec ſatis iam nobis

bis aduerſus ſolis uim in harum arborum umbra pręſidij eſt, ad uillam cenſeo reuertendum: ibi inferiorem ad partem ſpatium eſt, locuſq́ opacior, & exædra, huic diei tempori, & noſtro ualde oportuna ſermoi. Hoc ſic om̄ibus cũ placuiſſet, paucis ſanè paſsibus ad uillã nos recepimus.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARpentoracti S. R. E. Tituli ſancti Calixti Preſbyteri Cardin. ad Marium Maffeum Volaterranum de Philoſophia, Liber II.

NOn me præterit, Mari Volaterrane, fore nõ paucos, qui, cùm ego tantum laboris, tantũq́ operæ in optimis artibus & ſtudijs ponendum putem, pluſq́ ſtatuã multo in his, q̃ in ambitione honorum, & in conquirendis opibus eſſe elaborandũ: grauiter hoc meũ conſiliũ inſtitutũq́ repræhẽdant, ad eãq́ me curã atq́ cogitationẽ potius opinione ſua uocent, ut quum in foro,

atq; curia uerſari cum aliqua autori-
tate cœperim, iamq; à ſummo princi
pe conſilijs fuerim interioribus adhi
bitus: eam uitæ ſectã ſtudioſius per-
ſequar, per quam ad ſpem honoris,
ac fortunarũ munitur uia, aditusq;
facilis ad ampliſsimam dignitatem
comparatur. Quæ quidem horum
repræhenſio uehementius me moue
ret, ſi nõ aut ab leuiſsimo autore pro
ficiſceretur populo: aut ſi uiderem,
id quod minime intueor, eos qui ita
egerunt, ac popularibus hiſce opini-
onibus obſecuti, per ſummos labo-
res, maximasq; contentiones ad con
cupitos ſibi honores tandem euecti
ſunt, cum eodem populo in gratia &
in exiſtimatione bona eſſe. Nunc aũt
quum intelligam id quod omnibus
eſt apertum, quid de iſtis ſentiant ho
mines, qui dum ſplendorem hono-
ris duntaxat ſibi ante oculos propo-
nunt, ad eumq; unum ſtudio omni
inflammati feruntur, illud nequaq;
attendunt, quod erat hominibus ue-
ri honoris cupidis maximè animad-
uerten-

uertendũ,quãta indignitas ſit,quanta abiectio animi, ac leuitas in affectando, & ambiendo: non eſt cauſa, opinor, cur magnopere conturber uulgi ſermonibus, aut cur de ea animi conſtantia firmitateq; decedam, per quã neq; pecuniæ augendæ,neq; honoribus conſectandis uolo eſſe addictus. Non dico hoc loco quod mihi & cæteris,qui accuratè uoluerunt attendere,perceptum planè,obſeruatumq; eſt:eos eſſe plerunque horum ambitioſorum exitus, ut neminem uel paulò temperatiorem,mediocris ſtatus ſui, minusq; inuidioſæ fortunæ pœniteat. Quanquam fortibus quidem, & bonis, & ſapientibus uiris, q in quôq; honoris gradu collocati ſunt,& poſiti, nullam maculã uult afferre oratio mea:ſed tamen illud euenire ferme cernimus,ut nullorum ſit quàm iſtorum, qui domeſticæ inanes & uacui dignitatis, externã aliã quandam & aduentitiam dignitatẽ tantopere expetunt, quum angoribus amicorum, tum uolubilitate,in-

runtur, ut eorum ſolennem, æquabilémque in ſumma uarietate conſtantiam, nulla hominis ratio arte imitari queat: non præclara ipſe cupiditate accendatur ad cognoſcendum, & conſiderandum? quúmque rurſus aciem animi in hæc humana deflexerit, tumultúmque aſpexerit uagæ huius, ac fluctuantis, & cum tempeſtatibus omnium perturbationum ceu conflictantis uitæ, non alium ſibi potiorem uiuēdi ordinem, alia conſilia rerum gerendarum eſſe ineunda putet? quod quidem iam eſt proprium ſapiētiæ munus, cuius adipiſcendæ Philoſophia ſola magiſtra eſt, aut nullo alio pacto ad eā poteſt perueniri. Quanquā de his quidem quæ ad philoſophiæ officiū pertineant, deq; eius artis diuinæ ac prçcellentis utilitate, atq; præſtantia, ſatis à me explicatum eſſe arbitror in hoc ſecundo libro, in quo illa à me defenſa eſt, quum eſſet oppugnata, et repræhenſa à T. Phædro. Quē quidem ego hominē, Mari, ualde dilexi

ſemper, idoneumq́ existimaui, cui hanc potiſsimum perſonam imponerem, atq; eas tribuerem in ſermonibus noſtris partes, ut eſſet ille diſciplinæ nobiliſsimæ accuſator. Erat enim (ut tute noſti ac optime omniũ quidẽ: quippe qui illi & municipio; et propinquitate, nonnunquã etiam contubernio ſolebas eſſe cõiunctus) ad obtrectandum dictis, & lacerandum aliquantũ inclinatior: nec tam maleuolentia ille quidem, mihi ut uidebatur, quàm ardore quodam animi, & celeritate ingenij: quibus rebus fiebat, ut nullum paulò facetius, idemq́ aſperius & mordacius dictũ facile poſſet continere: cæteris quidẽ partibus officij, ſuauitatis, diligentię, cum optimo quôq; erat comparandus. Quapropter nos, quando ipſe agnoſci ex ſuis ſcriptis haud ita iam poteſt: quæ etſi multa egregiaq́ confecit, orationibus maxime pangendis, quas antea pronuntiaſſet: illa tamẽ neſcio quo pacto effuſa poſt mortem eius, diſtractaq́ euanuerunt: iucundum

cundum etiam nunc nobis amici nomen, ab obliuione hominum uindicare ſumus conati. Quod idem, ſi uita ſuppetet, de eis omnibus ſtudioſe faciemus, quorum nobis in amicitiā ipſorū, ac familiaritate & uirtus animi cognita, & ſpectata erga nos uoluntas fuit. Genus quidē orationis, Phædrique conſuetudinem dicendi, quantum aſſequi potuimus, in his libris expreſsimus: Quos ad te, Mari, potiſsimum ut mitteremus, quum ingenium tuum, ac uirtus, excellensq; ſcientia artium optimarum, tum ſuauiſsimi mores tui, dulciſq; illa cōiunctio & ſtudiorum, & animorū quæ ſumma inter nos beneuolentia nos aſtrictos reddit, ſuaſit mihi uehementer atque hortata eſt: amo enim te in germanum modum, tuóq; in nomine libentiſsime acquieſco: teq; in primis habere cupio meorum ſtudiorū & cognitorem, & participē. Quare attende quæſo, num tibi in his libris Philoſophiæ uis ac poteſtas ſatis diligenter à nobis uideatur eſſe expo-

ſita. Vt enim ad porticum ſub uilla peruenimus, atque in Xyſto, loco ſanè amœno id temporis & ſalubri, aduerſi conſedimus omnes, cæteris in me unum intuentibus, ſic ego exorſus ſum: QVAE fuerit Phædri noſtri in accuſanda Philoſophia dicendi uis, qui orationis curſus, quæ copia, nil me referre nec commemorare attinet, ipſi uos paulò antè iudicium feciſtis; quippe qui eius orationem non uoce, laudeque uerborum, quod ipſum admodum iam uulgare & uſitatum, ſæpe etiam temporis cauſa ſuſcipitur & ſimulatur: ſed admiratione potius tacita fuiſtis proſecuti. Nam, ut laus illorũ ſit quæ quamuis rectè atque concinnè, ex communi tamen, & penè quotidiano more fiunt: ſic admiratio eorum, quæ hominum uſu, ac facultatibus uidentur ſuperiora. Sed quo huius uel oratio plenior, uel ingenij uis acrior, & uehementior uobis uiſa eſt, hoc mihi grauius onus reſpondẽdi eſt impoſitũ. Ad eas enim partes repẽte defen-

dendas

dendas accedere me ſentio, quas hic ut oppugnare atq; euertere facilius poſſet, aſsidua iamdudum commentatione ſe inſtruxit: in quo neque ingenium illius apparationi defuit, nec tempus ingenio: quum ego utroque horum nunc quidem deficiar. Nam & tardior ſum ad excogitandũ, quæ ſint accommodata cauſæ, & propter ſubitam, improuiſamque dictionem imparatior. Accedit illud præterea incommodum, quod ei ſuccedo ſtatim orationi, quæ non præteruolauit aureis ueſtras, ſed in ueſtris animis & mentibus penitus inſedit. Vt enim Corybantas ferunt numine illo percitos, etiam poſteaquam tibiæ canere deſierint, gerere uſque tamen illarum in auribus concentum, & ad earum modos incitari. Sic non dubito, quin quamuis tacente iam Phædro, tamẽ eius ipſius in intimis mentibus ueſtris & uigeat adhuc, & loquatur oratio. Hanc uim dicẽdi fuiſſe in Pericle, qui princeps Græciæ habitus eſt, æquales tẽporũ illorũ poe-

tæ deprædicant: ut quum concionaretur, non ſolum tonarẽ, fulgere, ciere fulmina, ſed poſt dictionẽ etiã aculeos relinquere in animis auditorũ putaretur: quid ergo eſt? prodám ne cauſam, & deſerã? Minime iſtuc quidẽm, nõ enim uiri foret boni, & eius qui ſe iam diu Philoſophiæ addixerit, idq́ certo iudicio & explorato ſecerit: ſubito ab illa diſcedere atq́ eam ſummo illius tẽpore deſtituere. Sed ſequar officium, opinor, ueſtræq́ue unà autoritati, qui hoc me depoſcitis, obtemperabo: quum præſertim ſperem, atq; confidam, uos onus hoc mihi quod imponitis, eoſdem etiam eſſe ſubleuaturos. Nam ſi in aliqua populi cõcione, aut corona cuiuſque modi dicendũ mihi cõtra Phædrum eſſet, næ ego uerbo hiſcere non auderem, non quod diffiderẽ cauſæ, quid enim uerius, quàm & laudare & defendere Philoſophiam, cuius uſus atque tractatio Deorum uitæ eſt ſimillima? ſed quia concitatos iudices extimeſcerem. Nunc uobis duobus doctiſſimis,

ctiſſimis, prudentiſſimisq; iudicibus in pace & ſilentio ſuũ obtinebit locũ ueritas. Itaq; Phędro noſtro eloquẽtiæ palmam dabimus, ut ſuum ueritati honorem nõ negemus: Eſt enim ueritatis tum noſcendæ, tum agendę etiam atq; nauandæ ſtudiũ profectò ſapiẽtia. Vtemur enim hoc in Philoſophia uerbo, tametſi in eo Phædrus facetè nos admodum, & crebrò cluſerit. Sed qui duas haſce res arcta naturæ cognatione inter ſe coniunctas, eloquentiam dico & ſapientiã, quando utraq; res perfectio quædã, & altera mentis uirtus eſt, altera orationis, diuellere primus & ſeparare eſt auſus, ſiue Leontinus ille fuit Gorgias, ſiue alius quis: maximam is profecto ſementem malorum omnium in humano genere iecit. Primus enĩ docuit, id quod omnium rerum eſt deterrimum, mentiri uirtutem: aut ſi omnino uirtus mentiri nõ poteſt, nec falſam eiuſmodi perſonam ſuſtinere, inſtrumentũ certe primarium uirtutis, ipſam interpretem animi & mentis

el. sap.

mentis orationẽ, falſos ſuſcipere uultus coëgit, ut quum à uera ſapientia non eſſet profecta, aſsimulatione tamen imagineq; ſapientiæ, quàm plurimos in fraudem & in errorem induceret. Ex quo linguę cordiſq; diſſidio, ingens hęc, quam cernimus, in omni uita ſequuta eſt perturbatio. Fraudes enim & malitię, omnéſque fallendi & ementiendi artes hinc exortæ, hinc ſeſe in hominũ ſtudia, moreſq; profuderũt, omnis iniquã hinc falſitas, omnis circunſcriptio, & inſidię omnes, ab hoc primo erroris fonte manauere. Nã cùm ex duobus inter ſe quaſi de regno decertantibus, alterutrum in nobis dominum conſtituere nos oporteat: ſiue rationem uelimus tanquam aliquem Deum, ſiue cupiditatem ueluti belluã quandam: non tantũ in eo mali eſt (quanquam nec mediocre illud eſt malũ) ueruntamẽ nõ uſq; eò id pollet ad peſtẽ perniciemq; cõmunẽ, oppreſſam plerunq; & perditã meliorem iacere partem, inſolentẽ aũtẽ cupiditatẽ in

animo

animo dominari, quàm illud eſt & horribile, & exitioſum, linguam ſæpe inſtructam cupiditatum fallacijs, perferre foras mandata legationesq́; perinde ut à ſancto & legitimo intus rege, ac non ab improbiſsimo tyranno, ipſa uidelicet cupiditate, miſſa ſit: quæ æquitatis & ueritatis fucatis coloribus, callidas ſuas machinationes depingat, quo labefactatatis bonorũ conſilijs, eorumq́; fracta & imminuta autoritate, aditum ſibijpſa ad omnium fortunas patefacere poſsit. In quo mirari ſatis nõ queo, non intelligere eiuſmodi homines, quũ tantum uirtutis ſimulatione proficere ſe putent, quanto ſe plus arbitrarentur uera uirtute eſſe profecturos. Sed ut ad naturam redeamus, nil poteſt eſſe tam copulatum inter ſe omni neceſſitudine, uinculoq́; naturę, neq́; tã conſentiẽs, q̃ aut cum affectionibus animi uultus, aut cũ uolũtatibus ſermo: ut enim lætitias mœroresq́; inteſtinos frons atq́; oculi, ſic uoluntates et conſilia lingua cõtinuo refert, quę ſi

efficio

officio fungi ritè atq; legitimè, ſuũq; planè illud munus tueri uelit, non ſolum uerè & incorruptè conſilia mentis, atq; decreta reddat neceſſe eſt: ſed qualia etiã illa intus ſunt talia ea foris proferet, atq; exponat: quod in utroq; defecerit, dedecus ibi ſtatim exiſtit, & claudicatio: hoc eſt, non integrũ illa, ſed mancum ſui officij munus aſſequitur. Itaq; & ampla magnificè diſſerere illa debet, & copioſa largè, & alta ſublimiter, tenuia ſubtiliter, miſera dolenter: denique ut quo habitu intus ornatus animus, & quibus copijs inſtructus fuerit, talem eũ extrà efferat, & repræſentet oratio. Hanc ſpeciem eximiã perfectæ abſolutæq; ſapientiæ, quæ in potiſſimis uitæ noſtræ ducibus, mente, orationeq; uidelicet, & in eorum inter ſe concordia, conſpirationeq; conſiſtit, ſi quis facilem eſſe & in promptu omnibus putet, nempe ille fallatur: Omne enim præclarum rarum, & quæ communia cunctis eſſe poſſunt, nunquam in magno honore ſunt habita. Sed

eſt

eſt tamen in ea conſectanda, & adipiſcenda ordo quidam, ac modus: ut ſi ad ſummum peruenin non poſsit, in eo quod quiſque adeptus fuerit, cum quadam prudentia, moderationeq; uerſetur: neque ſe amplius oſtentet, quàm quoad idoneus eſt præſtare. Hoc enim qui ſic egerit, ut totam ſapientiam nō poſsideat, non minimã is tamen illius partem fuerit conſecutus: intelliget enim quid ſit illud, quod in quaque re eſt decere: quod unum eſt præcipuè ſapientiæ omni propoſitum: noſſe enim, & tenere quid in quaque re deceat, maxime propriũ putatur eſſe ſapientis. Qui ergo ad ſummam ſapientiã omni ſtudio contendẽs, aliquo in inferiore gradu reſtiterit, & mediocritatem in ea fuerit aſſecutus: uel cum in alterutra illius parte ſe exercuerit, alterius factus ſit expers: ut ſi quis in cogitando quidẽ eruditus ac prudens, idẽ in eloquendo infans atq; imperitus ſit: aut contrà, quum abundet orationis copia, magnarum tamen rerum cognitio-

nē non teneat: is ſi finibus ſe ſuis contineuerit, nec in ea parte ſtuduerit ſe iactare, cuius ſit imperitior: ſapientis ille laude & exiſtimatione non carebit. Non enim exiguas in ſapientiæ laude poſsidet partes illa uirtus, quæ à temperatione, & modo, præclaro quidem uocabulo, eſt appellata modeſtia. Ac ut in ædibus atque templis, etiam ſi magnificentia abſit, ſæpe tamen opere in paruo decor nihilominus elegantiaq; artis apparet: Sic anguſtioribus interdum hominū ingenijs, exiguisq; facultatibus, ſapientiæ aliquis radius poteſt illuceſcere. Si qui nō maximis fuerit ingenij opibus præditus, is cohibuerit ſemetipſe, nec ultra id quod potuerit, progredi erit conatus. Verùm ut horum numerus exiſtat aliquis, qui mediocriter effecti ſunt ſapientes: ad illam quidem ſummam & abſolutam laudem accedere ſapientiæ, paucis adhuc eſt datum: quorum nimirum nomen colimus tanquam conſecratum immortalitati. Ac ut omittamus

tamus de eis loqui, quos non ex ipſorum ſcriptis, ſed aliorum teſtimonio cognitos, & Græcæ, & Latinæ nobis indicant literæ: ut de parente totius Philoſophię Socrate, de Anaxagora, de Empedocle, Democrito, Pythagora, Varrone, Nigidio, alijsq́ꝫ cōpluribus: illi ipſi quos nouimus, quos mirantes legimus, quos in manibus ſemper habemus, Platonē dico, Ariſtotelem, Theophraſtum, Ciceronem, & reliquos, qui ad horum principum emulationem ſtudia ſua contulerunt: quales tandē nobis hi, & cuiuſmodi uidentur? nónne eximij, nónne admirabiles, nónne undique atq́ꝫ in omni parte ſummi, atq́ꝫ perfecti? An aliquid eſt in illis præterea, quod requiramus? quorū ut tabulæ, egregiè pictæ luce atq́ꝫ die, ſic iſtorū incredibilis rerū prudētia, orationis lumine lōgè fit illuſtrior: qui ita implent ſenſus, animosq́ꝫ legētiū docendo, et diſputādo, ut neq́ꝫ ad intelligētiā rerū q̄cq́ꝫ mēs nr̄a, neq́ꝫ ad iucūditatē animi āplius auris requirat. Sed

ut cœperam dicere, qui ad hoc faſtigium aſcendere nequiuerunt, ſi ijdē, in ſuo genere quiſque, modeſti prudentesq́ꝫ extitere, non caruerunt parte meritæ laudis. Qui uero quum totam ſapientiā perſequi neglexiſſent, & ad captādas magis opiniones uulgi, quàm ad ueritatē doctrinæ ſe exercuiſſent, maiores tamen q̄ꝫ erant, uideri ſtuduerunt: hos uideo ferme in duo genera eſſe diſtractos. Alij enim rerum omiſſa & poſthabita cognitione, in uerbis tantum ipſis, & in quodam loquendi artificio elaborauerunt: Alij præ ſtudio percipiendæ doctrinæ, excolenda oratione minus ſunt exercitati. Quorū utrorūq; nō mediocris error, & ad inſpiciundam ſapientiæ uim, obtuſa atq; hebes mens eorum extitit: quanquā priores quidem illi malitiæ, inſcitiæ poſteriores magis ſunt arguendi: hi enim non tam aſtuti mediusfidius, neque tam uafri, qui diuinarum rerum atque humanarum notitiā profeſsi, à cultu & elegātia ſermonis lon

gíſsime

giſsime abſunt, quàm incōptè & ridiculè in liberaliores cœtus ſeſe dent, ipſi uidetis: in eo quidē admodū nobis odioſi, quod libris quotidie edendis, & conſcribendis, ſemetipſos nobis, et opinionibus noſtris intrudere conantur, uimq́ quodammodo ſenſibus ſtudent afferre, quò de illorum bene ingenijs exiſtimemus: in quo imprudentia labuntur: nō enim unquam mihi, neque cuiquā præterea (ut ego quidem arbitror) ingenue inſtituto perſuadere poterunt, ut cū barbara & lutulenta utātur lingua, genusq́ ſcribendi adhibeant inconditum, & illiberale, iudicari debeant Græca aut Latina eruditiōe eſſe prę diti: quum neque id, quod ſapientiæ proprium eſſe diximus, uidere in re quaque quid deceat, in ipſo primo aditu ſui conatus intelligant. Nam quæ horum iſta eſſe ſapientia poteſt, quæ prima egreſsiōe e penetralibus ſuis, ut primum in conſpectum hominum proditura eſt, turpiter ſeſe in oratione ipſa dare, progrediq́ inde

corè ne animaduertit quidem? Atq; hi tamen, cuiuſcemodi ipſi ſunt, minus multo ſunt nocentes, atque malefici, quàm illi qui ex ornatu ſolo, copiaq; uerborum, doctores ſe ſapientiæ populis ſunt profeſsi: maiore enim ij perfidiæ inſtrumẽto ad euertendas hominum fortunas parati accessere. Rurſusq; hi dupliciter: aut enim cùm ſe ad Rempub. gerendam contuliſſent, propter ubertatem, elegantiãq; ſermonis, fide ſibi prudentiæ atq; uirtutis in populo falſò comparata, ciuitatibus ſuis pleriq; exitio fuere. Quo in primis malo, & rhetorum orba ueris ſapiẽtiæ dotibus eloquentia, non illæ modo tot præſtantium ingeniorum eductrices Athenæ, ſed cũcta olim Græcia planè concidit. Aut qui non tantum habuerũt roboris, ut ſe regendis & moderandis hominum cœtibus iudicarẽt idoneos, ij ſordidiorem etiam fallendi et decipiendi artem ſecuti ſunt: ut cùm per omnem uagarentur Græciam, adoleſcentes ad ſe uanis pollicitationibus

nibus allicerent, quod his ſe notitiã gubernandarũ ciuitatũ, & illã præcipuè artẽ dicerẽt tradituros, per quã ſcirent illi & tenerẽt, quemadmodũ cauſa inferior (ſic enim loquebãtur) dicendo fieri ſuperior poſſet: hoc eſt, quemadmodũ falſitas ueritatẽ, æquitatem aũt atq; iuſtitiã iniuria ipſa ſuperaret. Sophiſtæ hi nominabãtur: quorũ quondã multitudine & cœtibus uetus Græcia abũdauit, nomẽq; eorũ aliquandiu in magno honore eſt habitum. Sed quum ijdem illi ciuilium rerum peritiam, uirtutisq; & uitij profiterentur notionem: ipſi uerò moribus atque uita à contemptiſsimo quôque nil differrẽt, ſpreti poſtremo ab omnibus, atque illuſi, dederunt locum Philoſophiã uituperare uolẽtibus, ut id maximè ſecũdo populo facere poſſent: in quos extrema in oratione, me quidẽ perlubẽte, inuectus eſt Phędrus: qui ſi has huiuſcemodi Philoſophias falſa appellatiõe in nomẽ ſapiẽtię temere inuadẽtes, ſũpſit ſibi uitupandas, adſcribat-

licet ad iudicium ſuum opinionem etiam meam: ſin autem id molitur, et agit, ut omnino abijcienda ſit, & re-pudianda Philoſophia, nõ eſt nobis committẽdum, ut deſertam illam & indefenſam relinquamus. Nanque hercule, inquit ille, hoc etiam reſtat, ut plureis iam pro una Philoſophias habeamus. Nõ ita res ſeſe habet, in-quam: nec tu iſtam multitudinem artibus ipſis attribueris, ſed facultatibus potius eorum, qui diſsimiliter illas tractant, atque ſuſcipiunt: omnis enim ars una in ſeſe, ſimplexq́ ſemper & eiuſdem modi, non eodem tamen modo adhibetur ab omnibus: quod ne longe abeas, in tua ipſius arte potes, Phædre, perſpicere: quum enim te oratorẽ nobis præbeas grauem, atque magnum, quod idem facere nitũtur in hac ciuitate permulti, quid cauſę eſt, quod te dicente concurrimus omnes undique, attendimus, admiramur, tuæq́ eloquentiæ fulmina quaſi extimeſcimus; quod ſentimus idem uſu uenire nobis in

Camillo

Camillo Porcio: eſt enim ille ex tua & diſciplina, & amicitia tibi in hac laude geminus, ac prope par. Laurẽtium autem Colaianum, & hũc ſtultiſsimum omniũ hominũ Pionem, qui obſoletis & horridis conſectandis uocabulis, laudem in his dicendi ſe aſſecuturũ putat, etiam eludimus, atque aſpernamur. Num tu hanc uarietatem & diſcrepantiam arti, ac nõ hominibus ipſis attribuis? Omnis ars, Phædre, quæ quidem digna hoc nomine ſit, una ipſa in ſeſe, & ſui undique ſimilis, diſsimilitudine illorũ, qui eam tractãt, diſpares aliquando ſuſcipere uidetur formas: quum ita, ut fit, uariè ex ea ingenia afficiantur, ab alijsq; recte exerceatur illa ars, ab alijs perperam: & in his munus ipſa egregie tueatur ſuum, in illis minus id poſsit. Quod quum ſimiliter in principe artiũ Philoſophia eueniat, quid obſtat, quin tollatur omnis controuerſia: & quum ego Philoſophiã ueris laudibus extulero, tu malos Philoſophos iure redarguendos du-

cas? Nequaq̃ hoc ſic abierit, inquit: ego enim illã ipſam accuſo, quam tu neceſſum eſt confiteare, tot huiuſcemodi nebulonũ & nugatorũ eſſe uelutí matrem. Hoſtis, inquã, Philoſophię es Phædre, aſpereq́ nimiũ exerces inimicitias. Sed quoniam uideo te nullam omnino uocem æquis auribus admittere, quæ nomen modò Philoſophiæ cũ honore aliquo pronunciet: aggrediar ad defendendũ, ſi pauca antè de meo officio fuero prę fatus. Etenim ego quum plurimũ te amo, idq́ merito tuo: multa enim ſigna uiciſſim tu mihi, neq; ea obſcura, amoris tui erga me tribuiſti: & in ijs hoc recens, q̃ Curtianũ meũ carmen humaniſſimis uerbis proſecutus es: tũ mihi illud in te uſu uenire experior, q̃ ullius unq̃ uix familiaritate æquè ſum delectatus ac tua: nihil enim fieri te uno aut amabilius poteſt, aut ſalſius: q̃ ſi ita non eſſet, tuũ tamẽ excellẽs ingeniũ, tua egregia uirtus, humanitas, literæ, nõ ſolũ meã, ſed omniũ tibi beneuolẽtiã facilè cõciliarẽt.

Quod

Quod autem me ſæpe & multũ monuiſti, ut dimiſſo Philoſophię ſtudio ad grauiores res tractandas me conuerterem, probaſti mihi in eo tu quidem ſtudium & uoluntatem tuam: conſilium uerò & iudicium non ita: non enim ſi tibi omnia amicitiæ officia præſtare debeo, quod faciã equidem ſemper, et faciam ſedulò, iccirco tuis ètiam opinionibus annuere ſum obſtrictus: aſſentatoris eſſet, nõ amici ſic agere, tibiq́ʒ ita obſecundare, ut cùm meã rectè ac cõmodè tutari poſſem, tuã potius ſentẽtiã ſequerer atqʒ amplexarer. Illud cũ dolore aliquo fero, ꝙ uideo eſſe in hac cauſa neceſſariũ, ut mihi tu oppoſitus ſis, quẽ refellere coner, in quo tu meliore multo conditione uſus es, qui tibi Philoſophiam quam oppugnares nõ me ipſum propoſuiſti. Quamobrẽ ſi redarguendi cauſa acrius agere interdum fuero coactus, quæſo ut bona tua cum uenia facere id mihi liceat: non enim tui refellendi, ſed eius confutãdæ rationis gratia, quæ ex ore tuo

modo

modo Philoſophiam ut euerteret, equis uiriſq; connixa eſt: uehementius mihi nonnunquam erit agendũ: quod tu in bonam partem accipies, mihiq; pro ueritate, tanquam pro patria propugnãti, hanc curam, & hoc ſtudium etiam adſcribes laudi. Illud item peto, ſi contigerit aliquo loco, ut mihi de re quapiã interrogandus ſis, id quod uides in tam graui cauſa fore faciendum, facilem te mihi in reſpondendo, & clementem præbeas. Interroges licebit, inquit, ſed parcius: nam ego audire continentẽ orationem malo. Geram tibi morem, quoad potero, inquam. Sed ut nonnunquam opus eſt in ea diſputatiõe, quæ ex contrarijs partibus defendatur, inueniundi ueri cauſa interrogare, & interrogari, refellere, & refelli, quod aliter ſæpe nihil expediri, nec ad exitum commodè deduci poteſt. Sic illud non ſolum Philoſophia, uerum hominis etiã mediocriter eruditi prudentia indignũ, utrumuis iſtorum cum iracũdia, aut cũ pertinacia

efficere. Enimuero unde ego nam po tiſſimum ordiar? aut quod initium meæ orationi ſumam? an ab eo ſapientiæ uerbo, in quo tu omni cum ſale, quum priſcos illos ſeptem, tum Philoſophiam omnē eludēdo exagitaſti? in quo etſi nos mirabiliter delectaſti, uel uarietate rerū carū, quæ à teipſo proferebātur, uel lepore ſententiarum: tamen, quod pace dixerim tua, fluctuare interdū, curſusq; magis & copiæ, quàm aut diſtinctionis aut ordinis cupida, ferri tua mihi torrens uidebatur oratio. Quid ita, inquit: aut quæ nam fuit iſta fluctuatio? Quia, inquam, quū temeritatem illorum, et arrogantiam reprehendebas, qui primi ſapientium ſibi nomē & profeſſionem uſurpaſſent ſapientiæ, nimiumq; ſibi eos, & quod ferri non poſſet, appetiiſſe dicebas, ea re quidem, quod (ut aiebas ipſe) nihil ſit omnium rerum neque in cœlo, neque in terra ſapientia diuinius, mirabilem quandam rem profecto, & cæterarum omnium longe maximam,

mã huic ſapientię uerbo cõſtituebas ſubiectã. Rurſus ubi eorundẽ leuitatẽ & inſcitiã irridebas, qui profeſſionis ſuæ titulo inflati, & tumidi, præſtare cæteris ſe arbitrarẽtur, propter illud unũ ſapientię nomẽ, quod in reliquas omnes etiã abiectas & ignobiles cõueniret artes, fabrorũq́ ſapientiã in eo et Homerũ teſtẽ adducebas, nihil huic uoci relinquebas ſubiectũ quod æſtimatione ulla uideretur dignũ. Ita quũ duabus diſiũctiſſimis in rebus, una eximia atq́ primaria, altera porrò abiecta atq́ ignobili, eodẽ ſapientię nomine uterere, quid mirũ, ſi fluctuare mihi oratio tua, nihilq́ ſtabile et firmũ in animis noſtris conſtituere uidebatur? Atqui ignoſco equidẽ: ſunt enim iſta rhetorũ: pompã quærunt & gloriam, nec tam exactam in audientiũ animis earũ rerũ ſcientiam, quas tractãt, quàm exigui temporis poſtulant opinionem: non enim docere propoſitum illis eſt, ſed mouere. Itaq́ nullis certis in dicẽdo finibus continentur, quoq́ fuſiores,
&

& abundantiores ſemper ſint, ut litigioſi uicini terminos, ſic iſti uocabula, rerum notas confundunt: cumq́ꝫ unius uerbi inuolucro plura complectentis, in quam commodum eſt, uſi fuerint partem: tum ubertate & copia, numeroq́ꝫ bene compoſitæ & iucundæ orationis in auditorum animos influentes, uim ſæpenumero afferunt ueritati. Contra hæc omnia Philoſophia, rem ipſam aperit, ambigua diſtinguere uult, inuoluta euoluere: hoc ipſo tamen imbecillior, quod ut ferè acerrimæ inter ſanguine coniunctos eueniũt diſſenſiones, ſic iſta ab ea, cui germanitatis uinculo coniuncta fuerat eloquentia, deſerta, non modò minus habet ſplendoris ad illuſtrandã, uirium ad confirmandã uirtutẽ: ſed eius ipſius eloquentiæ inimiciſsimos impetus uix ab ſeſe poteſt propulſare. Quo utiq́ꝫ diſſidio, ut antè dixi, magna hęc, quã cernimus, in oĩmi uita exorta eſt perturbatio: q́ꝫ ſi mea uox unq́ꝫ quicq́ꝫ habuerit autoritatis; oĩmi ope adnitar,

ut omnibus ſuis partibus & nume-
ris perfecta, integraq́ʒ ſapientia, inge
nuis mentibus reſtituatur. Ergo in
nomine ſapientiæ ambiguus Phæ-
drus: Quid in ipſa re? Deſcripſit enim
ipſe ſapientiæ quoque formam ueræ
illius atque eximiæ. Audio: Sed ta-
men eam totam è uulgi iudicijs eſſe
aptam uoluit. Vnde tantum repente
in uulgo autoritatis? Nam & hoc lo-
co quæro, Dixeras illos ſeptem, ſi po
pulorũ ſuffragio dicti eſſent ſapien-
tes, non habere eos cauſam iure glo-
riãdi, propterea quod ſtultorum de
ſapientibus iudicium nullum exiſte-
ret. Quo pacto igitur qui de ſapien-
te nec iudicare quidem poſſunt, ho-
rum iudicijs niti & opinionibus, ea
ſola iudicabitur ritè ſapiẽtia? Sic enim
(ſi memini) poſitum abs te eſt: Quic-
quid in bonis numerarit populus, &
quæ ſtudia cunque magni fecerit, in
his neceſſe eſſe apprime uerſari ſapiẽ
tem, ſi uelit eſſe ſapiẽs: nec cũ à popu
li ſtudijs, et uoluntatibus uel tantulũ
diſcrepare. Quid habet igitur precla
rí iſta

ri iſta ſapientia, ſi nil aliud ipſa ſit, quàm uulgi opinio? Nam nos quidem cùm notionem ſapientis, quam in animis noſtris natura inſeruit, ipſa hominis uoce excitati, cogitando pertractamus: proponimus nobis longe præſtantius quiddam, quàm quod aſſequi, quóue aſpirare uulgus ipſum facile queat: ſpeciemq́ eam in animo informamus, in qua nihil temeritatis inſit, nihil feſtinationis, nihil inconſtantiæ: quæ quidem uulgi & populorum uitia ſunt notiſsima. Neque eſt quiſquam uerſatus inter homines, & qui ipſe modo ſibi notus ſit, qui aliam formam ſapientis mente concipiat, quàm hominis grauis, atque firmi, nequaquam pro temeritatibus uulgi ſua ſtudia regẽtis, ſed ipſius ultro moderantis, ultro cohibentis populum, ſi populus autore eo uti ad cappeſſenda rerũ gerendarum conſilia uelit, ſin minus, ſententiam tamen ſuam præſtantis, non populi. Quod de Phocione claro Athenis uiro memoriæ proditũ eſt:

q cùm reclamãte populo Atheniẽſi, diſſuaſor fuiſſet eius belli, quod poſt Alexandri mortẽ aduerſus Antipatrũ & Bœotios, duce Leoſthene, geſtũ eſt: resq; initio proſpere Athenas renuntiarentur; eſſetq; ob eã rem in lætitia & gratulatiõe ciuitas: interrogatus ecquid illa ſic cecidiſſe moleſte ferret, quæ contra eius ſententiã ſuſcepta eſſent? Nequaquam, inquit, uerũtamen ego in ſentẽtia mea nihilominus permaneo. Satis declarauit eo reſponſo uir prudens, non ex fortuitis euentibus ſapientiã, neq; ex leuitate iactationeq; populari, ſed ex grauibus certisq; conſilijs pendendã eſſe. Et ſanè quidẽ illius exitus belli Athenienſibus extitit calamitoſus. Atqui talis nobis ob animũ uerſatur ſapiens, q frenis ſæpe quibuſdã quaſi contineat populũ temere ruentẽ in ea, quæ concupiuerit: nõ qui conuellatur ultro ipſe, & auferatur à populo: qua ſpecie quidem in ſapiente, nihil nec cogitari poteſt indignius. Tu contrà, nouo de ſapiente iudicio uteris,

ris, nihilq; neque rectum, neq; graue exiſtimas, quod non à populo prius probatum, adſcitumq; ſit: ut tibi in hoc pauliſper aſſentiar (nam quid uerius ſit, mox uidero) Agè ſanè, Sit munus primarium ſapientiæ ſtudia uulgi perſequi. Rationem atq; tempus huius fungendi muneris quęro: non enim ſemper (ut tu ipſe inquiebas) modo eodem conuenit: Quid ergo? quum uulgus ſemper uarium incertúmq; ſit, atq; ut in euripis & fretis undarum aſsidua eſt conflictatio, fluctusq; fluctum identidē & impellens, & reuocans, ſic temeritas populorum incitata & uolubilis, cōtrarijs ueluti æſtibus frangat ſæpenumero, impediátque ſemetipſam: quod erit populo tēpus, iudicij faciendi, ferundæque de ſapiente uiro ſapientiáque ſententiæ? Tum ne, cùm repentino aliquo ſtudiorum motu incitatus, ad appetendū aliquid feretur effuſius? An pòſt, cùm reprehenſo errore, uel etiā ſola mobilitate pœnitens, repudiabit illud q̄d paulò antè intēderat?

In hac inquam uarietate, & in his errantibus populi opinionibus & ſtudijs, utrum tandem quaſi æſtum ſequens ſapientia, ius ſuum & nomen rite obtinebit? ut de Q. Fabio Maximo legimus, eo qui bellum cum Annibale geſſit. De quo Ennius,

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem: Non ponebat enim rumores ante ſalutem: Ergo magis magis atque uiri nunc gloria fulget.

Atqui gloriam ille iſtam fuerat adeptus, quod à populi uoluntate diſſentiens, fortunam Reipub. in diſcrimẽ prælij non adduxerat, ob eamq́ rem ab eodem poſtea populo ſapiens eſt iudicatus. Quæro igitur, quando ſapiens? quum populi & militum incitatis ad pugnandum ſtudijs obſiſtebat, & quia minus illorum cupiditati obſequebatur, ſuæ famæ & dignitatis detrimentum accipiebat? At nõ hoc modo pendeat è uulgi opinionibus ſapiẽtia: An poſt, cùm cunctorũ uoce & concurſu maxime laudatus eſt, quod leuia uulgi iudicia contempſiſſet,

pſiſſet, ſuumq́ ipſe iudiciũ fortiter retinuiſſet? At hoc poſteriore populi iudicio, id quoq; eſt ab eodem populo iudicatum, nequaquã eſſe ſapientis imperitæ multitudinis ſtudijs obſequi, nec conſilia ſua ex populi opinionibus moderari. Ita inanis in omnem partem ſapientiæ iudex eſt populus; minimeq́; idoneus, cui hoc tantum munus cõmittatur, atq; id decretis non ſolum grauiũ atq; prudentũ, uerum etiã ſuis. Verùm hoc fortaſſe haud ita uult Phædrus, neque omnibus ipſe populi ſcitis ſapientiã adiungit, ſed ea ſola in hãc laudem recipit, quæ non mobilia & uaga, ſed firma, conſtantiaq; ſunt, nec ulla unquam uiciſsitudine permutãtur: ac ne multis, ad ea bona nos reuocat ſtabilia atque rata, quæ ſemper populus maxima iudicat bona, diuitias, honores, imperia, uoluptates. Huc enim conuerſam omnem uult eſſe ſapientiã, ac in his potiſsimum appetendis, cum populo eam ait conſentire oportere: munúsque ſapientis præcipuũ eſſe,

ut referat is ad ſeſe omnia quæ concupiſcat populus, parteſq; ſuas in ijs longè principes eſſe ſtudeat, neq; alium eſſe arbitretur, qui illis potiatur, ſe ipſo digniorem. Quod ſi ita ſit primùm, quî conuenit, eundem populum, quem temeritatis & inconſtantiæ plurimarũ rerũ arguas, atq; condemnes, repentè una certa in re, & ea quidem maxima, idoneum ſtatuere ſapientiæ autorẽ? Quis hoc ſic dijudicauit? Quis diſtinxit? Quis has ueluti prouincias ſic partitus eſt? ut ex eodẽ autore quæ prodeũt, horũ partim ſapienter decreta exiſtimari debeant, partim ſtulte. Deinde, ſi hæc ſemper fixa de diuitijs & uoluptatibus populi eſt opinio: quomodo tu non fruſtra illam nobis imaginẽ ante oculos effinxiſti, qua paratum ad ſubitos excurſus ſapientem conſtituebas: cum quidem eum ueluti Scytham aliquem, aut Nomadam, cui nullum uſquam certum domicilium eſſet, tanquam in rheda collocaſti, ad proſiliendum attẽtum: ut ſimul atq;
populus

populus nouo æſtu aliquo cupiditatis efferueſcens, delabi quopiam, confluereq; cœpiſſet eôdem ipſe præcurrere & aduolare niteretur? Quid inquam opus fuit hac mobilitate, & hoc tanto excubandi, uigilandique negotio? & cur non protinus ſapientem in ipſo opum & uoluptatum regno cõſtituiſti, fruentem pacatò animo eius rebus, in quibus fructus ſapientiæ præcipuè cernitur, nulla eiuſmodi ancipiti cura diſtractum, tãquam reſciſſurus aliquando populus decretum ſuum, & de huiuſcemodi bonis ſententiam mutaturus ſit? Iam illud quidem, quod maximè ad rem pertinere arbitror, quęrendum in primis mihi ſtatuo, Vnde tanta ſit æſtimatio hiſce bonis: Ex ipſis ne? hoc eſt, ab ipſorum conditione atq; natura, ut ſint ipſa per ſe & ſua ui ęſtimanda? An à populo? eò quòd populus illis hoc tantum autoritatis attribuat? Si ab ipſis, quonam ſapienti opinione populi multitudiniq; iudicio fuerit opus? An dubium id eſt,

quin ipſe melius & cõſideratius mul
tò, quàm imperitum uulgus ſoleat,
de eo quod bonum eſt, cõſtituturus
ſit, & iudicaturus? quippe cùm ſapiẽ
tiæ in primis ſit, non aliena eam ſub/
ſequi, ſed ſua ipſam iudicia profer-
re, quæ alij potius ſequantur: aut ne
nomen quidem ſuum ipſa retine-
at, ſi in iudicando alijs conceſſerit. Si
uerò bona illa magni iccirco facien-
da ſunt, quod eadem plurimi fiunt à
populo, nullum erit illorum ueritа-
te neq; natura, ſed tantũ uulgi opini
onibus bonum: ita in bonis exiſtima
tis & opinatis, nõ in ijs quæ uerè bo
na ſunt, egregia iſta popularis ſapiẽ-
tia enitebit. Quid ergo illa, quæ uera
bona ſectatur, & in illis appetendis
utitur iudicio non uulgi, neq; impe-
ritorum, ſed ſuo: quo tandem nomi-
ne fuerit appellanda? Num ea quęſo
indignior habebitur, quæ ſapientiæ
nomen obtineat? & iccirco eam po/
pularis ſapientia anteibit, quod hæc
ueritatem bonorũ amplectitur, illa
ipſa duntaxat opinionem? niſi fortè
nullum

nullum omnino re & ueritate eſt bonum, omniſq; boni ratio ex ſola opinione exiſtit. Quod ſi ita eſſe ſuſcipiatur, rurſus Protagorea ratio inducatur neceſſe eſt, nihil re ipſa uidelicet, neque natura uerum, neque bonum eſſe: ſed quale cuique quid uideatur, id illi tale exiſtere. Quę poſitio Sophiſtæ in primis (ut tum habebatur) nobilis, diu & multum in Græcia iactata, ad extremum doctiſsimorũ diſputatiõibus fracta, atq; cõuicta eſt. Etenim tum perſpicue eſt demõſtratũ, ſi ita ſe res haberet, primum, contraria in eodem & repugnantia ſimul conuentura eſſe, quod nullo modo fieri poteſt: quippe quum contrarie diuerſis de quaq; re uideatur; deinde artem omnino nullam neque ſcientiam habere locũ poſſe: nihilq; interfuturũ eſſe inter doctiſsimos, et imperitiſsimos neq; inter eos qui omni rerũ prudentia uſuq; ſe excoluiſſent, & eos qui nunquam animum omnino ad aguendum quippiam aut conſiderandum appuliſſent:

Ita omni omnium rerum penitus ſublato delectu, omnibus conſilijs iudicijsq́ peremptis, fore planè nihil quo res rei ulli momento aliquo antecelleret. Sed nos illis diſceptationibus omiſsis, quę latiores ſūt, quàm ut anguſta & breui oratione concludi poſsint: ad ea quæ nobis ſunt propiora redeamus, idque dicamus, quod reticentibus etiam nobis neceſſe eſt intelligi: ſi boni uerique ratio opinionibus duntaxat pendenda ſit, populum ipſum iure unum appellari conuenire ſapientem, Quippè quum plurimum concors conſentiénsque opinio, ſingulorum ſententijs ſit anteponenda: Populus itaque ſolus ſapiens. Qui ergo nobis conſtamus ipſi, dum hoc communi loquendi more errorem, incōſtantiam, uanitatem populis aſcribimus? uerbáque ſtultitiam & temeritatem ſignificantia, in genere ſapientiſsimo uſurpamus? Num aut maiores fortè noſtri aberrauerunt hi, qui rebus impoſuere nomina? aut nos illa ipſa nomina perperam præpoſte
recq́

reꝗ accipimus, alienáque prorſus loquimur, cùm ordinem, grauitatem, conſtantiam, cæteráſque huiuſmodi uirtutes ab errore leuitatéque diſiunctiſsimas, unanimes comites ſapientiæ attribuimus? At enim æquius multò eſt unum concedere ſententijs plurimorum, quàm unius plurimos: ſic enim dicebas: Quid cùm plurimi ex contrarijs partibus diſſentiunt, multitudinesꝗ ipſæ inter ſe ſunt diſcordes: numero ne ſemper, nunquam autem pondere grauitatéque diſceptantium lis dijudicabitur? Quid cùm non hominibus ſolùm, ſed populis uniuerſis diuerſæ ſunt ſententiæ? Lacedæmone furari ingenuis adoleſcentibus eſt permiſſum, Athenis nihil minus. Contrà, Athenienſibus lege ocij erat mulcta, at liberale uel maximè id apud Lacedæmonios. Ex quo illud legati Spartani dictum, qui Athenis quendam damnatum ocij duci cùm uideret, quæſiſſe fertur perſtudioſè, quis eſſet ille, qui tam liberalem

liberalem ſubijſſet mulctam. In diſsi
milibus ergo duorum principij po-
pulorum opinionibus & ſententijs,
utram tandem ueriorē & ſapientiæ
congruentiorem dicemus eſſe; aut ſi
non facile id eſt iudicatu, tuā ſcilicet,
Phædre, ſapientiam adſciſcentibus:
conſtituemus quidē hoc certe, quod
eſt neceſſe, hominem unum atq; eun
dem Lacedæmone ſapientem, Athe
nis ſtultum fore: ut cùm ſecum foras
extollere domeſticam ſapientiam ne
quiuerit, in alienam ciuitatē, quem-
admodum hoſpes, ſic etiam inſipiens
introijſſe dicatur. Verum ut congre
diamur propius, ac de eo ipſo genere
bonorum, quo Phędri iſta in primis
aſpirat ſapientia, de diuitijs inquam,
ac uoluptatibus uerba faciamus, quā
do horum bonorū iudicium omne
ipſe attribuit populo; ſi uaria exiſtāt
hac quoq; de re populorum decreta,
quid erit tandem ſtatuendum? Lace
dæmone duriſsimis Lycurgi legi-
bus, quoad illæ uiguerunt, neque ad
pecuniam, neque ad delitias aſpira-
uit

uit quiſquam. Nemo igitur illis tot ſeculis in ea ciuitate ſapiens: ne Romæ quidem, qua tu e ciuitate exemplum omnis ſapientiæ & uirtutis in noſtros animos tranſcribebas, primis illis CCC. L X X X I I I I annis diuitiæ admodum in uſu, aut in honore ullo fuere: neq; publice id adeo, neq; priuatim. Ac publice quidem, Q. Fabio Pictore, L. Quint. Conſs. nummus in hac urbe primum argenteus ſignatus eſt, annis quinq; ante primum Punicum bellum: cum antea graui ære, inepto ad coacervandũ, ac reponendũ, omnes uterentur, priuatim uero qui argentũ poſsidere comperti eſſent, hi neq; legum pœnas, neq; cenſorias notationes effugerent. Ita in hanc urbem aditus omni illo tẽpore ſapientię interclusus fuit: niſi forte tum populi Romani opinione & iudicio, ex alieno quodã genere ſapientia extitit, non uoluptatis & copiarum, ut nunc eſt, ſed abſtinentiæ, frugalitatiſq; magiſtra: cuius tamen moris ac diſciplinæ temporibus

poribus optimis Pop. Rom. non pœnitebat, tum cùm ab aratris accerſebātur homines, quibus magiſtratus, curationes, imperiaq; mandarentur, totaq; Reſpublica committeretur regenda: quorum quidem conſilijs, fortitudine, iuſtitia potiſsimũ effectum eſt, ut hæc ciuitas ex minima, ad ſummum rerum humanarum faſtigium perueniret: nam ab hac quidem populari ſapientia quotus quiſque eſt, qui ad gubernacula Reipub. tranſlatus, officium ſuum, atque operam ualde probet populo? Quod ſi populum quoque uelim in hac ratione defendere, non'ne id dicam, quod ab omnibus concedi neceſſe ſit: non hoſce cupidos & ad omnia progredientes, quibus omne in pecunia, et in ambitione honoris poſitum bonum eſt: quique quo plurimum in ſua ciuitate poſsint, anxij ſemper, atq; ſolliciti, omnes intendunt machinas, omni uia moliuntur: ſed abſtinentes, ſed moderatos, ſed graues, eos eſſe, qui à populis præcipuè & probentur, &

diligantur,

diligantur, quorum ſe fidei libens multitudo ipſa committat. Videtis campum, in quo exultare poſsit oratio mea. Sed mittamus: ſitq́ ſanè & Phædro, & populo teſte, opum & icunditatum conſectatrix ſapientia: Illud quæro: in quo uim & facultatem iſtius ſapientiæ ponitis? Vtrum ſi adipiſcatur commoda fortunæ hæc, quæ uos tantopere extollitis: an ſi uiam, rationémque commonſtret adipiſcendorum? Hoc eſt, Vtrum in euentu adipiſcendi, an in conſilio duntaxat inſit ſapientia? Si in euentu, atque ut adipiſcatur, qui iam diſtinguemus fortunatum à ſapiente? aut cur non idem atque unum fortuna ac ſapientia fuerit? Et quidem hunc honorem in ſcena & à Comœdia cernimus Fortunæ datum, Centum doctum hominum conſilia hæc una deuincit Dea Fortuna: atque hoc uerum eſt, perinde ut quiſque ea utitur, ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes dicimus. Bene ubi cui

diſcimus

diſcimus conſilium accidiſſe, hominem cautũ eum eſſe declaramus: ſtultũ autẽ illum, cui uertit male. Noſtis carmen profectò, quo, ſcenę, uulgiq; iudicio, in ſede ſapiẽtiæ fortuna conſtituitur. Et ridiculus Pacuuius, qui de Fortuna ſecus ſentit: Fortunã inſanam, & cæcam, & brutam perhibẽt Philoſophi, ſaxiq; inſtar globoſi prædicant uolubilem, qui enim ea poterit uolubilis atque inſana eſſe, ſi cum ſapientia ſemper coniuncta ſit? Quanquã Pacuuius (quod ita Phædro uideatur neceſſe eſt) nequaquã ſatis idoneis, teſtibus Philoſophis, fortunam in crimen & in uituperationem uidetur accerſere. Sed perſequamur, ut cœpimus, hocq; urgeamus: ſi in adipiſcendo & potiundo uitæ commoda ſapientia tantummodo ſit, nihil inter eam, interq; fortunam interfuturum eſſe, caſuq; & fortuito quenq; effici poſſe ſapientem: ut enim ad honores quis & ad diuitias euectus fuerit, ita ſapientiam e ueſtigio fuerit conſecutus. Vbi cir-

 cunſpectio

cunſpectio igitur, ubi conſilium, ubi illa accurata & diligens conſideratio, quæ habita eſt ſemper propria ſapientis? qui ſe nunquam in præcipitem locum committit, certaq; ratione dirigens appetitiones ſuas, diuitias & poteſtates ſæpenumero prætermittit, quò ſe bona exiſtimatione in populo communiens, ueras uitæ uoluptates, quę ab honeſtate & innocentia ſeiunctæ eſſe nō poſſunt, tranquillo animo conſequatur: nihilque unquam molitur, in quo ſubductis calculis non plus conſilij & rationis inſit, quàm fortunæ. Quod ſi non tā in adipiſcendo, quàm in acutè acrìterque perueſtigando, quibus ad fortunæ præmia itineribus ueniatur, ſapientia magis eluceſcit: equidem non negarim hoc ſapientiæ munus magis congruere. Adeſt enim, iam conſilium & cogitatio, quæ ſunt cognata et familiaria ſapiētis. Sed quid, ſi, omnia ipſa cum egerit, uehementèrq; elaborauerit (quandoquidem euentum atq; fortunam præſtare ne

mo poteſt) ſpe & conatibus ſuis fuerit decepta, retinebit'ne ſic eluſa atq; irrita, ſapientiæ nomē, nec'ne retinebit? Si nō retinebit, falſum erit in explorādo, & indagādo ſpectari ſapiētiā: rurſusq; omnis ſapiētis approbatio à caſu, & à fortuna erit repetēda. Si retinebit, poterit iā certe eſſe aliqs ſine fructu ullo & ſine emolumento ſapiēs. Quod neq; tu Phædre ita uis, & ego maximè alienū à ſapientia ſta tuo. Quid enim, rem ne unā omniū pulcherrimā & maximā, ad quā noſtra uota & deſideria præcipuè contēdūt, poſsideri ſine fructu, atq; adeò ſine maximo fructu, in animū inducere poterit quiſpiā? nō cadit hoc in cogitationē hominis, noſtræq; id mētes penitus reſpuūt: potius quicquid uitam exornat atq; excolit, facitq; ut pacatè & ſplendidè, & cū uoluptate uiuamus, totū cōſilio & ſapientiæ refertur acceptū, ut cui ſapiētia ipſa adſit, ea illi inutilis & ſine maximo fructu nequeat adeſſe. Relinquit igitur ut iunctum utrunq; & copulatum,

ſapientiam

ſapientiam conſtituat: hoc eſt, ut ue/
ra germanaq́ ſapientia ſit, cùm poti/
ri fortunæ bonis, tũ ſtudio ijs noſtro
induſtriaq́ potiri: quod ſic recordor
abs te fuiſſe poſitum, iucundiora eſſe
mũnera fortunæ, quæ aliquis labor
anteceſſerit et moleſtia, quàm ea quę
ſua ſponte nec opinãti adueniũt, pro
pterea ꝙ uoluptas omnis ex conten-
tione ipſa moleſtiæ percipiatur ube-
rior. Si inquam ita ſit, ſuauioraq́ ſen
timus, quæ cum labore quodã & ſo/
licitudine animi, nobis ipſi expugna
uimus, q̃ quæ ultro accepimus obla-
ta: optãda eſt mala ualetudo, ut eius
proſperæ atq; bonæ lætitia amplior
nobis adueniat. Falſo igitur eſt in cõ
munibus uotis uſurpatum, rem eſſe
optandã nobis, non partã labore, ſed
relictam. Quanq́ iſta quidem leuio-
ra ſunt: illud porrò graue, grauiterq́
animaduertendum. Quod ſi ab indu
ſtria coniũctè & à fortuna efficiatur
ſapientia, neq; alia conditio quæpiã,
modúsque alius apponatur: hoc eſt,
quo cuiq; ordine, qua temperantia,
n 2 qua

qua etiam à malis facinoribus abſtinentia,ad opes & imperia peruenire ſit licitum:nil cauſæ fuerit, quin quę ad quæſtum maxime, & ad pecuniã appoſitæ fuerint artes, eæ potiſsimũ nomine ſapientiæ ornentur. Erunt igitur fœneratores in hanc laudẽ uocandi,erunt circũſcriptores, erũt teſtamentarij. Denique quotquot ſibi periurio, & fraude, & malis artibus rẽ aut potentiã quærunt,modò aſſequantur id quod cõcupierint, proui di hi,& ſolertes,& ſapientes eſſe iudicabuntur. Quid ergo?hanccine placet conſtitui ſapientiã, & talẽ eam in hominũ conuictus,cõmerciaq; produci,quæ populatoribus humanę ſocietatis non ſolũ impunitatẽ,ſed gloriã etiã nominis ſui proponat? nónne plurimũ intererit,quo pacto quiſque ad opes,honoresq; perueniat,& qua ad fortunæ bona nitatᷓ uia?Nam qui iuſtè & caſtè id egerit, idemq; ea fuerit conſtantia præditus, ut maius ſibi bonũ in uirtute atq; honeſtate,q̃ in uoluptatũ, opumq; affluentia conſtituat,

ſtituat,eũ ſanè nos uirũ bonũ appellabimus, maximamq; illi fidem rerũ omnium habebimus: ſapiẽtem uerò etiam,ſi cum integritate unà & cum iuſtitia,mentis præterea,ingenijque acumen habuerit coniunctum:quod omnino ſapientiam in actione mentis, & quaſi ingenij uigilia quadam conſtituimus, quæ ſi à uirtute & innocentia diſiuncta ſit, ſuisque propriè conſilijs abſq; iuſtitia ueritateq; nitatur,non iam ſapientia, ſed malitia ſit nominanda,ut quæ celeres quidem animi motus, & ad uidendum quid expediat acutos: ſed eoſdẽ prauos & inconſtantes et perfidioſos habeat. Quapropter decuit abs te,Phædre, ſapientem tuum ex hoc genere conſtitui, qui polleret quidem mentis intelligentiæque conſilijs, uerùm idem omnia tamẽ ad uirtutem æquitatemque referret. Quem tu nunc eiuſmodi, quæſo, & quo ex genere nobis effinxiſti? occultum quendam & cautum deſignaſti artificem ſimulandi,diſsimulandiq;,qui cùm ſpecie.

quadam ſplendida & liberali oculos noſtros quaſi perſtrinxiſſet: intus autem copi pectore (ut ille inquit) arcana continuiſſet ſtudia malitię ſuæ, tũ ut ſeſe ulla aperiret occaſio, reiectis inuolucris diſsimulatiõis, ad illa fortunæ bona prorumperet, quorum adipiſcendorum gratia, nec uiolare ius fasq́;, nec cæteros ſupplantare indignum arbitraretur: qui ſi non uaſtè ac præruptè, ut de Philoſophis ipſe dicebas, at elegantiore quadam improbitate magisq́; concinna prę ripe ret cæteris adipiſcendi palmam. Vafrum inquam nobis hominẽ & aſtutum, plenũq́; doli ac perfidiæ deſcripſiſti, atq́; eum qui cùm nullã ueram ſpeciem ſapientiæ noſſet, uirtutémq́; ac dignitatẽ utilitate ſola metiretur, præſtare ſemper arbitraretur pudere magis, quàm pigerę: multóq́; plus doleret non adeptus, quod concupiuiſſet, quàm in impuritate aliqua facinoreq́; deprehẽſus uerecũdaretur. Detorquebas interdum tu quidem, & ſplendidis ac ſonãtibus uerbis um
bram

bram illi appingere uirtutis conten‑
debas. Sed facile patebat, totamq́ſe
indicabat oratio tua. Dũ enim inob‑
ſeruatis ueſtigijs aiebas curaturum
eſſe ſapientem,ut quò intendiſſet ex‑
peditius perueniret, non mediusfidi
us lucem neq́ diem,ſed noctem & te
nebras quærebas ſapientiæ. Quod ſi
huiuſcemodi ſapientiam eſſe placet,
quæ eos,quibus æmulatur, tyrãnos
imitetur:ut quemadmodũ illi ſegre‑
gatos ab ſeſe habent omneis bonos,
ſeruorum autem, & facinoroſorum,
& barbarorũ circũ ſe comparãt ma‑
nũ: ſic ipſa ueris uirtutibus eiectis,
fraudum inſidiarúmq́ comitatu, ad
opes ſibi acquirẽdas ſtipata incedat.
Nimirum nobis præterea nihil eſt di
cendum: quandoquidem non parte
aliqua,ſed tota ſapientiæ ratione diſ‑
ſentimus. Nam ego illam ex alieno
longè genere, prorſúsque contrario
eſſe ſtatuo. Hic Gallus,Nequaquam
hoc uereare Sadolete inquit,ut quiſ
quam noſtrum(nam pro Citrario ti
bi etiã ſpondeo) ſapientiã cũ ſcelere,

& cum perfidia putet iungi: neq; ue-
rò Phædrus hoc perſpicue poſuit: ui
debatur quidem interdũ oratio eius
abundans & concitata, labi huc, atq;
effluere. Sed noſti Rhetorũ morem:
mihi quidem ratio illa uehementer
probatur, nec ſine ueris germanisq;
uirtutibus ſapientiam, nec ſine ſapi-
entia uirtutes ipſas exiſtere: ſapien-
tiamq; ingenij & mentis actionem,
non fortunę euentũ eſſe ducendum.
Sed quid ſi iccirco plurimi ſapientia
ſit, quod ea nobis bonæ fortunæ ef-
fectrix, atq; adminiſtra eſt: non malis
inſidioſisq; artibus, ut tu modò im-
probabas, in quo tibi planè aſſentior,
ſed uirtutum choro nixa comite, fi-
demq; & ueritatem ad omnia adhi-
bens, ut ſapientis ſit honeſtis rationi-
bus uitæ copias cõſequi, ſapientiæq;
effectus fortunata uita ſit, num hoc
quoq; fuerit eiuſmodi, ut alienũ gra-
uitate ſapientiæ eſſe uideatur? Mihi
quidem notio illa, quã in animo in-
ſculptam de ſapiẽtia gero, hac ratio-
ne etiã pulchrior, magnificentiorq;
occurrit,

occurrit, ſi ſapientem omnibus ſubſi
dijs fortunæ florentem atque ornatũ
eſſe uideamus, addet enim hic exter-
nus copiarum apparatus, illius pro-
fectò decori dignitatique permul-
tum. Dicuntur iſta, Galle, ſpecioſe
inquã, & aliqua ex parte etiam pro/
babiliter, ſed uidendum tamẽ eſt, ne
conturbemus. Etenim ſi hoc ita intel
ligatur, ut ſapientiæ fructus omnis
in fortuna ſit, & cùm fortunam ade/
pta erit ſapientia, tum demum nomi
ne illo digna cenſeatur: aut nihil ipſa
omnino per ſeſe fuerit: aut, quoniam
fortunam præſtare nemo ne ſapiens
quidem poteſt, ſine ullo commodo
& emolumento adeſſe nobis ſapien-
tia poterit: hoccine igitur tu ita uis?
minimè, inquit, Sed ego cùm maxi/
mas per ſe utilitates in ipſa ſapientia
ineſſe ſtatuo, tum arbitror uberius il
lam fore ornatã, ſi fortunæ quoq; be
nignitas acceſſerit. Facilè hoc tibi cõ
ceſſerim, inquã, dum ne illud ita ſen-
tias, omnẽ uim ſapiẽtiæ huc intentã
eſſe, ut fortunæ ea nobis conciliatrix

 ſit.

ſit. Sequitur quidem ferme fortuna ſapientiam: rarumq; admodũ, & difficile factu eſt, ut ſapiens idem & infortunatus ſit. Ex quo dictum ab antiquis, Suæ quenque fortunæ ſibi fabrum eſſe. Sed tamen fortunarum conſecutio appendix quædam bonorum conſiliorum eſt: modicaq; ſemper eſt, ritè æſtimantibus, ad ſapientiam fortunæ acceſsio. Nanque ipſa ſapientia maiores ſibi multò opes, & præſtantiore ex genere in ſe paratas habet: neq; ex alienis generibus bonorum, ſed ex ſe, & ſua ui commendat nobilitatem ſuam: quæ ſi domeſticis fructibus non contenta, alienis opibus perficere ſe cogatur, non iam neq; libera ipſa iuris ue ſui, nec ullius compos dignitatis fuerit: ſeruiet enim neceſſariò fortunæ, totámque ſeſe ad illius nutum finget, atq; conuertet, ut ſuum bonum, quod habet in illa repoſitum, illius ipſius beneficio poſsit conſequi. Quare ſi huiuſmodi ſapientia ſit, quibus ea, quæſo, ornamẽtis dignitatis, aut quo honore libe-

re libertatis poterit eſſe prædita? Nã ut ſeruire hominẽ homini dicimus, non eum ſolùm qui emptus pecunia & mancipio acceptus ſit: uerumetiam illũ, qui cuius ipſe rei egens eſt, eã rem cogitur ab alio ambire, & mendicare. Sic cùm propter fortunam ſapientia expetenda ſit, iam non ipſa domina rerum, ſed pediſſequa fortunæ exiſtimãda eſt. Etenim quicquid amatur aut appetitur propter aliud, id non ipſum appetitur per ſeſe, ſed omnis illi dignatio prouenit ex eo, ad quod hoc tanquã intermedio itur atq; contenditur: ut poſteà finẽ, atq; extremũ quod optabamus conſecuti, horum quæ adhibuimus tanquã adminiculorum ad potiundũ & conſequendum, iã ne reminiſcamur quidem: eorum enim conſumpta opportunitate, nulla reliqua in ipſis remanet dignitas, quæ noſtros animos teneat. Sed noſtrum omne bonũ in illo ſummo agnoſcimus, ad qđ de principio iã tũ tendebamus: ſicut portu adepto, nauigio nõ amplius opus eſt

&

& uictoria cõſtituta, arma deponun-
tur bellica: Sic fortunæ opibus com-
paratis, inanis de cætero ſapiẽtia eſt.
Igitur in hoc ordine, & tanquã cur-
riculo quodam interuenientium re-
rum ad aliosq́ fines properantium,
ſapientia ſi conſtituatur: non ea ſpo-
liata ſolùm ſuo decore, ſeruiat & an-
cilletur fortunæ neceſſe eſt: uerùm
quum fuerit ad fortunam peruentũ,
nullam iam ulterius partem commo
di, neq; eſtimationis obtineat. Quod
eſt rurſus illa ſapientiæ notitia indi-
gnum, quam in animis noſtris natu-
ra ipſa deſcripſit. A G E agè, Gallus
inquit, cogor enim tibi hac ratione
aſſentiri, fortunam non eſſe ſapien-
tiæ dominam: quæ uideretur fore,
ſi ad eam unam ſapientia tota perten
deret: Sed quin ſit ſapientia ex comi
tatu bonæ fortunæ ſplendidior, hóc
ne inficiari quiſquam, & deterere di
cendo ex animis noſtris poterit?
Quid poſſit, inquam, alio loco uide-
ro: Nunc hoc ſic habeto, Si acri acie
mentis naturam rerum intueri uo-
luceris,

lucris, te non difficiliter animaduer-ſurum, in tanta uarietate & artiũ & operum, quanta hominũ labor atq; induſtria quotidie efficit: nihil in eis rebus ineſſe dignitatis, quæ ad pro/pulſandum incõmodum duntaxat, & ad neceſſarios uitæ uſus repertæ ſint: quod huiuſcemodi quæ ſunt, ſeruiunt omnia neceſſitati: neque habent in ſe quicquam ſoluti, & liberi: ſed alienis aſtricta legibus tenentur. Quod enim fugere incõmodũ atque malum à natura ipſa cogimur, idcirco ſunt iſta ui et neceſſitate expreſſa, ut naturæ præſtò ſint, uitamq; ac ſa/lutẽ hominis cuſtodiant. Nihil autẽ coactum ſuapte natura eſt laudabile. Vbi ergo exiſtit dignitas? ubi laus? Nempe in his, quæ neceſſitatis ſoluta uinculis, ipſi noſtræ uolũtati ſunt libera: Nã quoad laboramus & tendimus, ut ſubſidijs fortunæ conquirendis fulciamus & tueamur uitam noſtram, quoniam id non ſponte, ſed naturę lege atq; imperio facimus, hactenus ſumus & laudis, & criminis

exper-

expertes. Quod enim alieno gerimus coactu, neutram id in partem at tribuendum nobis eſt, quandoquidem nulla in hoc animi noſtri neque ex uirtute, neque ex uitio declaratur affectio. At cùm ſupereſſe incipit neceſsitatibus noſtris diuitiarum copia, & fortunæ quaſi quædam ubertas; materieq́ꝫ habemus ampliorem, in qua liberè uerſari uoluntas noſtra, & ſuo ſe arbitratu gerere in ea poſsit: tunc ſi rectam ratione͂, conſiliumq́ꝫ bonum adminiſtrandis fortunæ facultatibus adhibebimus, ornabit quidem fortuna ſapientiam: ſed propter eam cauſam ornabit, quia ipſa antè à ſapientia fuerit ornata: omnis enim illa directio, & prudens aptaq́ꝫ diſpoſitio, tractatioq́ꝫ opum & fortunarum, ſapientiæ tota eſt: atque eadem ſapientia ea eſt, quę in poteſtatibus & opibus, omnibusq́ꝫ bonis, muneribusq́ꝫ fortunæ lume͂ illud accēdit pulchri atq́ꝫ decori: cuius nō ſolum oculi hominū ad aſpectum, ſed mentes etiā ad admiratione͂ conuertuntur.

tuntur. Nam ipſa quidem fortunæ bona, ſi per ſe illa ſpectes, quid habẽt in ſe præclari atque magni; quæ iacerent penitus inanimaduerſa & mortua, niſi actum tanquam animam à ratione utentis acciperent: perinde autem ut quis utitur, ita efficiuntur & laudis participia, & uituperationis: ſi enim ordine & ratione diſponũtur, nihil ſpectabilius, ſi per inconſultam, cæcamq; cupiditatem effunduntur, nihil fieri poteſt turpius: ut cùm ad homines indignos delata ſunt, augeant potius et cumulẽt illorum indignitatem, quàm quicquam illis ſplendoris aut ornamenti afferant. Igitur quicquid ex fortuna eſt, quod ſuperfluat, ultraq; uſus uitæ neceſſarios ſit, totum ſuppellex eſt, & inſtrumentum liberæ uoluntatis, particépsq; hactenus & uirtutis & uitij, ex alio genere utile, quàm quomodo ea ſunt, per quæ neceſsitatibus uitæ ſubuenitur; illa enim ad incolumitatẽ duntaxat utilia ſunt: hæc ad amplitudinem, ad gloriam, ad dignitatem:

dignitatem: cuius quidem pulchrioris, præſtantioriſq; utilitatis amore & ſtudio, liberæ in primis mentes et ingenuæ excitantur: pluſq; multo ſibi ſtatuunt in honeſtatis decore, q̃ in ſalutis incolumitate eſſe repoſitũ. An uos aliam eſſe cauſam, et rationẽ putatis, quamobrem non ſolùm erectioribus animis qui ſunt, uerùm ignauiores etiam alij & demiſsiores, niſi illi ſimilia brutis mancipia omnino ſint, flagrẽt nimis acriter interdum ſtudio rerum gerendarũ: ſeſeq; adhibẽdi in aliquod opus illuſtrius, ſuiq; ingenij periclitandi cupiditatẽ habeant inſitam: niſi quòd amplitudinis ſplendore illo ad amandum arrepti, cupiunt ſeſe in illa luce conſtituere, & nobilioris fieri naturæ participes? uegetiore uero qui ſunt animo, ut requietem nullam inueniãt, ut tanquam œſtro quodam exagitati et perciti, Themiſtocleo exemplo, nihil aliud noctu interdiuq; cogitẽt, quàm quemadmodum queant maiores atq; honoratiores cæteris exiſtere:

ſtere: atq; ardorem animi ſui, quem compreſſum atq; retruſum ferre nō poſſunt, in illuſtribus actionibus exponere, ac patefacere: hinc honorum ambitus, hinc magiſtratuū, hinc omnis opum pecuniæq; cupido, ſuſcepta quidem illa primo honeſti decoriq; cauſa, ut in oculis hominum ſplendidi incedamus, ut aliquid ipſi eſſe uideamur: uerùm pòſt ob inſcitiam ueri boni, errorémq; ignaræ mentis, ad inanem oculorum oſtentationē, improbioresq; exaturandas cupiditates, quæſita atq; translata: quā nunc quidem ſectandæ ſapientiæ rationē, frequentiorem nimirum magiſq; in populo uſitatam, Phædrus omni ſua oratione communiuit. Sed nos qui ex eo genere hominum uolumus eſſe, quod rarius quidem eſt, uerū multò præſtantius: quódq; amore diuinæ uplchritudinis incenſum, dignitatē ſibi præcipuè proponit: fertúrq; omni ſtudio ad illud potiundum bonum, quò naturæ ipſius inſtinctu ferè omnes, certo iudicio ſanè q̄ pauci

nouerunt niti. Si Philoſophiam no‑ bis ducem adhibemus, quę ſe effectu ram ampliter pollicetur, ut ſine erro re ullo, ſine offenſione, optatum ani‑ mi noſtri ualeamus conſequi: qs hoc nobis iure aſcribet uitio, ac non lau‑ di potius ducet, quòd in cupiditate tanta, nos tamen ita contineamus, ut non impetũ animi, nec quicquid ſta‑ tim nobis expetendũ occurrerit, ſed certam conſilij & rationis regulam, cuius quidem ſola Philoſophia magi ſtra eſt, in dirigendis noſtris opinio‑ nibus perſequamur? Hic Citrarius, Probè loqueris, inquit, & continea‑ mus ſanè nos, ſi modo quod pollice tur, præſtare idonea Philoſophia eſt, cuius tantã hanc uim iamdudum ex‑ pecto nobis ut patefacias. Tempus admonet, inquam, & res ipſa eò iam me uocat: nam adhuc quidem uelita ti magis inter nos ſumus ego atque Phædrus, ꝙ iuſto prælio congreſsi. Nunc quoniam legibus iam, & ritu Philoſophorũ diſſerendum mihi eſt, q captiões uerborũ excutiũt, nihilꝙ obſcurum

obſcurum neq; ambiguum in oratione eſſe patiuntur: nomẽ mihi primò ſapientiæ non definiendũ nunc quidem (alius enim erit magis aptus ad id faciendum locus) ſed in qua ponatur re, peculiariter eſt indicandum. Etenim cùm duo ſint à ueteribus illis uerborũ & linguæ repertoribus facta uocabula, quę ad duas res in tota hominis natura multò præſtãtiſsimas, ſignificandas ualeant, prudẽtia uidelicet & ſapientia: equidem non abnuerim horum duorum uocabulorum uſum ab optimis interdũ autoribus promiſcuè fuiſſe ſumptum: quod (ut mihi uidetur) & ſæpius, & liberius facere ſolet Plato. Ariſtoteles quidem, & prorſus cæteri omnes ubi ad germanas & proprias rerum declarationes fuit ueniendum, ſic diſtinxerunt: ut prudentiam eis rebus humanis præficerent ratione conſilioq; gubernãdis, quæ in motu & in uarietate ſemper eſſent, nullãq; certã haberẽt in ſe, quapropter hoc magis, quàm illo modo euenturum quic-

quam eſſet, cauſam aut neceſsitatem, quam illi partem rerum opinabilem omnem uocant, habitumq́ animi illis imperantem & moderantem, prudentiam. Alteram uero partem diuinarũ rerum & immutabilium, quarum perpetuus ſemper & uniuſmodi eſſet ſtatus, ſapientiæ uoluerũt eſſe ſubiectam, ut in ijs cernẽdis contemplandisq́ duntaxat, nullo alio munere, diſtricta ſapientia teneretur. Hac diuiſionis & nominũ ratione, Greci eos nominauerũt prudẽtes, qui autoritate in publicis rebus & cõſilijs floruere: quæ in illis locis magis ualuit nominatio, ubi minus roboris in legibus, & in cõmunibus moribus minus firmitatis, maior autem uis in ſubitis populorum ſcitis, quæ ſophiſmata appellant Græci, extitit. Qua de cauſa plures Athenis prudentes fuiſſe memorãtur, quàm fuerint Lacedæmone: quod ualidæ illic leges Lycurgi, atq́ firmæ, minus ingenio loci & callidis conſilijs dabant. In rebus autem incertis, & uariè ſe habentibus,

tibus, maximè exiſtere uideatur prudentia. Quod etiã Phædrũ noſtrum ſimilitudine induxit, ut conſiliorum hanc uarietatẽ, mutationẽq; actionũ ſapientiæ aſcriberet. Sapientia porrò eſt, ut ex communi hominum ſententia conſtituamus hoc nomẽ, ſiquidem uerborum uſus & ſignificatio à populo, rerum autem intelligentia à ſapientibus eſt petenda. Sapiéntia in quam eſt, ex qua eos etiã, qui huius, quam diximus, prudentiæ expertes & eſſent, & haberentur, in aſtrorum cœliq; & rerum illarũ ſublimium ac mirabiliũ aſpectu, cõtemplationeq; uerſatós, ſapientes nominãdos Græcia cenſuit: cuiuſmodi ſéptẽ illos con ſenſu populorum uocatós fuiſſe, literis proditum eſt; prudentem autem Periclem, & eum, qui fluctum Barbariæ è Græcia expulit, Athenienſem Themiſtoclem: Quam nos eandem ſermone noſtro patrio rerũ nominúmq; diſtributionẽ, acceptam à Græcis, ſecuti ſumus. Quód ſi ratio quoq; reddẽda huius diſtinctiõis ſit,

nimirum ea eſſe intelligatur, quæ etiam eſt in communibus hominũ ſenſibus poſita, decreui enim, quoad quidem potero, nõ difficiles aliquas uobis neque contortas, ſed è medio ſumptas, proponere rationes: ad quas percipiendas, nõ exquiſita quãdã doctrina, ſed parua tantummodo admonitione opus ſit. Eſt hoc igitur in omnium fere hominum opinionibus inſitũ, ut unus ſeſe quiſq; ad res gerendas autorem eſſe idoneum arbitretur: ſibiq; perſudeat, ſi ad lectionem Reipubl. ipſe adhibeatur, facilè ſe & magnitudini rerum, & expectationi hominum ſatisfacere poſſe. Itaque nemo eſt ferme tam imbecillo animo, támque ab iecto, qui nõ aliquam partem prudentiæ, ſua ſibi ipſe opinione arroget: uſque eò quidem, ut in genere illo non facilè alteri cedat: & ſi alium uiderit honore atque autoritate in adminiſtratione rerum publicarum ſibi antecellentem: felicitate quadam, non ingenio, ſe ab eo putet uinci et ſuperari: qua rurſus populari

populari confuſaq́; exiſtimatione, in idem uidetur fortuna & prudentia cõuenire. Ac de prudentia quidem, ut uidetis, ſic ſentiunt omnes: animique habitũ hunc communem & uulgarem eſſe putant, hoc eſt, in communibus quaſi principijs naturę omnibus hominibus inſinuatũ & traditũ. Sapientiã uerò, cuius eſt nomẽ poſitum in altiſsimis rebus, quarũ rerũ cognitio à uulgo eſt longè ſemota, cuiuſmodi cœli illa, & cœleſtiũ rerum indagatio eſt: illis attribuerunt, qui in ſola mentis atq; animi exercitatione uerſati, res in natura abditas, ad quas populus ne aſpirat quidem, inueſtigare ſunt conati. Itaque ſapienti unuſquiſq; de populo, in facultate illa & cognitione rerũm ſublimium facilè cedit: prudenti, et perito rerũ gerendarum haud ita cedit. Quoniam autem ars iſta indagandæ, ſpeculandæq́; naturæ in ſuo munere occupata, curam rerum gerendarum non ſępe admodũ appetit, ſuiſq́; oblectationibus cõtẽta, quas et plurimas ſẽper,

& maximas habere ſolet, in hos populares æſtus ambitionum & cupiditatum ſe ne committit quidem: idcirco & totum ſapientiæ ſtudiũ tanquam inane, atq; iners à Phędro con uitijs agitatũ eſt: & priſcis item temporibus, ſapientes in ſocietate hominũ, & rebus publicis inutiles, infructuoſiq; ſunt exiſtimati. Ex quo & Thales ab anicula, & Socrates ab Atheniẽſi populo, Crates quoq;, Anaxagoras, Democritus à ſuis ciuibus iure luſi uidẽtur. His ſic demonſtrátis, accedamus propius ad declarandã Philoſophiæ uim: quæ cùm harũ duarũ rerũ præſtantium & ſingulárium, ſapientiæ, prudentiæq; uidelicet, ſiue eas facultates quaſdã, ſiue ſcientias, ſiue habitus animi p̄claros atque diuinos, uelimus intelligere, notitiã et adeptionem, ſi ſe ſeq uelimus, daturã nobis polliceatur: diligenter inſpiciũda ipſa à nobis eſt, & undiq; excutienda, an quod profitetur, pręſtare parata ſit. In quo ſenſim tamen nobis & conſideratè eſt progrediendum;

dum: ut quoniam excelſum faſtigiũ conſtituere uolumus, habeant fundamẽta ſoliditatem ſtabilem. Ac ut, quemadmodum cœpimus, ab inſitis in animis noſtris notionibus ducamus exordiũ, quas in nobis penitus hærentes, ſed longa forſitan deſuetudine obſcuratas, aliquantũ opus eſt extergere, & illuſtrare, quò facilius mentibus noſtris illuceſcant: agnoſcimus ſic natura comparatũ eſſe, ut omniũ rerũ, quæ gignuntur, & fiũt, præſtantior ſẽper ſit uſus, ꝙ cuiuſq; rei effectio. Exempli cauſa: Fabrica æraria, quæ lebetes, & cacabos, & labra, uaſaq; eiuſmodi plurima efficit, cuidam alteri arti deſeruiat, & famuletur, opus eſt, quæ uaſis illis utatur: ſiue ea ars coquinaria, ſiue balneatoria ſit atq; uſq; eò quidem deſeruiat, ut ſuum in excudẽdis illis iudicium ipſa adhibeat nullum, ſed tãtummodo eius quę his uſura eſt artis lege ac præſcripto moueatur, formam enim ab altera arte et modum efficiendi accipit; neque hoc ſolùm, uerum id

quoque euenit, ut ſi æneis uaſis, ars quæ utatur nulla exiſtat, ne ærariæ quidem fabricæ in natura rerum ſit locus: tanta eſt uis & potentia ipſius uſus, non ſolum ut præcipiat, & imperet effcienti arti: ſed in numero etiam rerũ ut illa ſit, tribuat: quod una in arte demonſtratum, ualet idem in cæteras: Etenim ſi non ſit qui maritimis curſibus utatur, quæ ſeſe ars pangendis nauigijs addicet? Et ſi equitandi peritia nulla ſit, quis fræno rum & ephippiorum fuerit artifex? Denique ut in unum omnia compræhendamus, perſpicue intelligi arbitror: artes efficientes, earum quæ utantur non ſolum ancillas exiſtere, ſed hoc ipſum omnino, quod ſunt & in natura locum & partem ipſæ habent, ab illis totum obtinere. Hoc ſimiliter & eodem modo in natura tota eſt, in qua nihil eſt non ad aliquem actum uſumque creatum: ſed eſt fortaſſe conſilium naturæ in pleriſque obſcurius: reuelemus igitur illud quoad poteſt & proferamus:

atque

atque ita, uti planè queat conſpici. Etenim ſi eſſet aliquid in natura rerum, quod nihil ageret, neque ullum ſui exhiberet uſum: cùm cauſa fuiſſet nulla cur gigneretur, ne genitũ quidẽ fuiſſet: Siquidẽ nil abſq; cauſa aliqua gignitur: quocirca eſſet id omnino nihil. Cur quicq; autem gignatur, cauſa ea eſt, quæ in fini extremóq; generationis, uel gignẽti arti, uel naturæ ipſi eſt propoſita: Vt ſi dicamus, baccas arborũ propter eam cauſam genitas à natura, uel ut ex illis paſtus animantibus ſit, uel ut arboribus plantisque ad perpetuandam ſpeciem ſuæ cuiuſque naturæ ſit progreſſus, uerè quidem dicamus alterutrum, & utrunque etiam ſimul, nam & ad propagandũ genus cuiuſque ſuum, et ad animantium uitam ſuſtentandam, fruges & poma à natura creata ſunt, ſed hic tamẽ eſt finis naturę aliquãto remotior, quod ſic intelligi uolumus, ut naturæ quidẽ conſiliũ et procerãdi ratio, ad hęc ulteriora extremáq; ꝑueniat, labor

autem

autem & operatio eiuſdem non perueniat: ut enim primùm ad ſpeciem ſuam quæq; res à natura perducta, & naturalem facultatem agendi ex ſeſe, & operandi nacta eſt: tunc conquieſcente ibidem naturæ opere, ſua ui ipſa, & ſua ſponte deinde cætera molitur: quod in feris maniſeſtiſsimè cernimus: hæ enim catulos cùm genuerũt; eosq́; nutricatu, et multa aſsiduitate confouerũt, uſq; ad eũ terminũ, quoad illi p ſeſe niti, & ſibi cõquirere uitæ ſubſidia poſsint: tum deſerũt ac derelinquũt illos, atq; ad alia ipſæ ſibi naturalia munera conuertũtur. Ex quo patet, naturam, cùm in quaq; re ſpeciem illius rei propriam finxerit atq; inſignierit, ad peculiarẽ aliquam agendi facultatem finxiſſe rem illam & genuiſſe: quæ ſi nullum ſui uſum præſtaret res aut haberet proprium, uel nulla ipſa ſpecie inſignita, nuſquam etiam locorum exiſteret, uel illud fruſtra retineret inſigne. Quid ergo referret, eſſet'ne inſignita, néc ne eſſet: uolo enim per hoc
inſigne

inſigne accipi, illud ſuum cuiuſq; & ſingulare, quo differt à cęteris, uimq; & naturam habet ſibi uni congruentē: quòd ſi nullā ad peculiarē actionem natum ſit, quid, aut quale ſit, ne cogitari quidē poteſt. Quemadmodum de materia intelligimus, illa ultima loquor, in quā et intereunt omnia, quę dilapſa occidūt, & ex eadem cuncta rurſus efficiuntur: hæc enim quòd nulla ſpecie propria inſignita eſt, ne ſentitur quidē uſpiā eſſe, nullamq; ſuā habet actionē propriam: ſed tantummodo efficientibus cauſis parata eſt, ut ex ea cōcreſcat aliquid, atq; gignatur: ubi uero aliqua iam impreſſa forma, ſuum et certū genus in numero rerum accepit, ſtatim ad actiones conuertitur ſuæ naturæ proprias, quod omnis eſt uis, omnis actio, omnis nitenti aliquid, operandique facultas, ex ſpecie cuiq; rei ſua peculiariter inſita. Quamobrē, hoc quoque conſtituto, quicquid creatum & genitum in natura rerum ſit, ad aliquem uſum eſſe genitū, uſumq;

rei ſemper effectione potiorem exiſtere, ipſumq́; in cauſa eſſe, cur quęq́; res & gignatur, & fiat: uideamus dehinc, inter ipſos uſus num diſcrimen aliquod ſit, et differentia eiuſmodi, ut alius alio debeat duci pręſtantior: quod quidē dupliciter neceſſe eſt ita eſſe: nam & rebus uti nobilitate imparibus, ad eandem actionem poſſumus: ut ad procurationem rei & priuatæ & publicæ, uel liberis hominibus, uel ſeruis: ad militiam ijs, qui aut ſtipendia multa meruerunt, aut tyronibus: in quo, non uſus, ſed res adhibita ad uſum, diſcrimen habet dignitatis & indignitatis: Et ſæpe in ipſo uſu per ſeſe, cùm res illa, qua utimur, eadem unaq́; ſit: ea differentia ineſt, quòd & bene uti et malè eadē re poſſumus: ſed quoniam nihil eſt neq; ab arte, neq; à natura ad eos fineis effectum, ut peruerſè & præpoſterè in uſum adhibeatur, ſed ut aptè & conuenięter: ſit, quod paulò antè dicebamus uſum rei effectiōe ſemper præſtantiorē eſſe, nūc ſic nobis interpre-

tatum, ut de laudabili & recto uſu di
ctũ intelligamus: hoc eſt enim id ip/
ſũ, quò contẽdit natura, & in eo uim
ſuam omnẽ poſitã agnoſcit: ut quod/
cũq; gignitur ab ea, atq; fit, id ad exe-
quendum munus ſibi congruens ſit
procreatum, atq; factum. Quòd ſi &
rei, qua utimur, nobilitas, & uſus il-
lius rectus id efficit, ut quæ illo mo-
do aguntur & geruntur, bene, præ/
clarè, ſapienter, utiliter dicãtur geri:
nulla nobis poteſt eſſe præſtantior
actio, neq; ad naturã uitámq; accom
modatior, quàm nobiſmetipſis, qui
in ordine rerum, ſummum propè &
nobiliſsimum genus ſumus, rectè &
commodè & conueniẽter uti: in quo
& naturæ noſtræ perfectio maximè
ineſt, & uera uitæ felicitas. Ac nos
quidem uocabulis abutimur, ſi quid
fortè pronuntiamus in rerum natu-
ra ſe ipſo poſſe uti, niſi quod ratione
præditum ſit: nam quæ inanimata
ſunt, nullo modo ipſa ſe ipſis, ſed illis
alia utũtur: quę autem uitæ et ſenſus
ſunt participia, ut uideantur utentiũ

ima-

imaginẽ quandam hebere, utuntur enim & baccis, & frugibus, & latibulis, & ſemetipſis ad conſeruationem ſui uolucres, atq; feræ: itẽq; in aquis quæ demerſa animantia ſunt, ſuos rerum ſibi congruentium uſus habent: non tamen uſus illiuſmodi laudem recipiunt, aut uituperationem, propterea quod non à ſoluto, & libero animi iudicio, ſed tantum ex inſtinctu naturæ proficiſcuntur. Qua etiam de cauſa, eodem ſemper propemodum fiunt modo: non enim uiſis & imaginibus rerum, quæ occurrũt atque offeruntur, reſiſtere bruta poſſunt: ſed permouentur & cedũt, eoq; neceſſariò feruntur, quò appetitus ea traxerit. At nos, qui rationis dono diuino atque mirabili, à natura ipſa locupletati ſumus, non in appetitu potiſſimum inſiſtimus, quærentes quid uel delectet duntaxat, uel proſit, quæ duo nobis cũ brutis communia ſunt: ſed ſequentes noſtræ naturæ diuinum ducem, ad illa expetenda in primis ferimur, quæ ſunt
ipſorum

ipſorum uel præcipua bona Deorũ, ut decus, ut laudem, ut dignitatem, ut amplificationem quandam noſtrimet, & quaſi ex hominibus in Deos conuerſionem, potiſsimũ perſequamur: quorum quidem bonorum, neque participes nobiſcum ullo pacto belluæ ſunt, & nos in his uerſando ac proficiendo, id certè aſſequimur, ut perficienda ac perpolienda natura noſtra, cognatioẽm noſtram cum Dijs arctiorem faciamus. Proprium igitur naturæ noſtræ munus tum maximè obimus ac fungimur, cùm ad ea quæ ſunt laudabilia & honeſta, uſum noſtrimet adhibemus. Et eſt hic quidem rectus noſtri uſus, ad quem ſumus facti à natura atque geniti. Sed quoniã ea ipſa ratio, quæ ut tanti boni conſequẽdi facultatem habeamus, uim nobis, prębet, eadem etiam dat mẽti noſtræ libertatem, & conſectandi huius boni, & aſpernandi: neq; ulla ad alterutrum neceſsitate nos aſtringit, iccirco ad utrã partẽ nos dederimus, iure nos inſequitur

laus, aut uituperatio. Quorum neu-trum, ſi ad alienum pręſcriptum agere omnia nobis eſſet neceſſe, ad nos ipſos pertineret: ſed eò potius referretur, unde illa nobis inuecta eſſet neceſsitas. Quamobrem ut concludamus, quum in ſolis nobis iure poſsit pronuntiari & aſſeri, nos eſſe unos, quibus cõueniat nobis uti, quod ſoli ex libera uoluntate id agamus: ſit autem una quęq; res nata ad id agendũ, quod ipſi eſt rectiſsimum: uel in primis confitendum eſt, nos ad uſum noſtri rectum & laudabilem eſſe natos. Verũ iſta laus non ſimplex, neq; uniformis, ſed in duas partes principes diſtincta: ſuos deinde unius cuiuſq; partis & uarios habet gradus: non enim in ijs quæ ratione recta geruntur, pulchrum & conueniens in omnibus idem eſt, ſed plurimũ intereſt, ut ſemper cõſilio mouearis et ratiõe, quos fineis tamẽ tibi proponas & intueare, finium enim diuerſitas, differentiam quoque actionum facit: in quo illud accuratè eſt animaduertendum,

dum, omniũ rerũ quę ſint, fiant, atq; gerãtur, bonum in fini atq; in extremo eſſe poſitum, quò cùm peruenerit, res quæque cõquieſcit. Porrò bonum cùm dicimus, id uolumus intelligi, quod cuique naturæ poteſt eſſe optimum: ſiue illud ſplendidis & magnificis uerbis exponendum ſit, ut quod pulchrũ, decẽs, honeſtum, ſiue commodis et uoluptabilibus, ut ſalutare, iucundũ, utile: ſunt enim omnia hæc uocabula cum bono ipſo tanta cognatione cõſtricta, ut diuelli non poſsint. Sed ad nos ut reuertamur. Pulchrum & bonum eorum, quæ recta à nobis ratione geruntur, in fini ſemper ineſt. Intereſt igitur, cuiuſmodi ſit ipſe finis, qui prima, ut dicebamus, diuiſiõe eſt duplex, quòd aut extra nos, aut in nobis ipſis eſt ſitus. Et enim cùm quid ſuſcipimus & molimur, ſi alterius cuiuſquam rei extra nos efficiendæ cauſa id agimus, non in nobis, ſed illa ipſa in re quam effecerimus, bonũ omne hærebit, ſi uero noſtra actio nihil ſpectabit externũ,

ſed in ſe ipſa conuerſa, finem ſuum & ultimum intus continebit: tunc erimus nos iiſdẽ qui agimus, totius boni ac decori cõpotes. Superioris generis artes ferè ſunt omnes, quæ in ſubiecta aliqua materia, corpore & manu operando uerſant, cuiuſmodi ſtatuaria eſt, & ædificatoria: quarum quidem artiũ & ſimilium cæterarũ, facultas omnis & apparatio, non ſe ipſa finita eſt, ſed ad aliud extra ſe tendit, & elaborat extremum, in quo ſuum bonũ poſitũ ſibi ſentit. Quæ uerò ex uirtute geruntur, & ex animi quadam moderatione, quoniã ſe ipſis terminata ſunt, ſuo ipſa, & eo inſito fruũtur bono, neque id in alio, quid ſit à ſe diuerſum, exponere cogũtur, approbat hoc tacito ſuo, parum quidem in uulgus notato animaduerſóque iudicio natura ipſa, quæ in templis & ædificiis magnificè ſtructis, ſimulachriſque affabre factis, facit nos, nec opinanteis, oculos mentemque defigere, opuſque ipſum intueri, ab eo uero qui fuerit operis artifex auertere,

atque

atq; amouere: quod ratione ea fit, quã bonum artis in opere ipſo, tanquam in extremo & fini, non in artifice ineſt. Incredibile autem eſt, quãtoperè nos & amore boni natura ardeamus & aſpectu delectemur. Itaque nemò unquam fuit, qui non Iouem Phidię multò magis, quàm Phidiam ipſum ſit admiratus: at ubi actũ aliquid eſt magnanimè, temperatè, prudenter, fortiter, cuiusq; hominis talibus actionibus referta uita ſit, in quibus præſertim adhibita fuerit cõſtantia, q̃ nõ ſubiti animorũ impetus, ſed liberum conſideratum, perpetuumq; iudiciũ factis tribuit dignitatem. Tunc, quoniam bonum omne in eo ipſo inhæret, qui ſeſe in his ſæpenumero probauit, concurſus in eo fiunt, et ſpectationes, & admiratio eiuſmodi, illa ut dicantur, Hiccine eſt Telamon ille, quem ſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua? Themiſtocles quidem poſt explicatã maximis è periculis, et ſuo unius cõſilio liberatam Grgciã, quũ ad Olympia acceſsiſſet,

ac multitudo, quæ ad ludos frequentiſsima conuenerat, dimiſſo certaminum ſpectaculo, ad eam unum intuendū conuerſa omnis eſſet, maximū tum ſe laborum ſuorum præmium percipere dixit. Et re uera, auerſis etiam nobis, & aliud cogitantibus, tacitè inſinuat ipſa natura, ut eas potiſsimū actiones appetamus, quarū ſplendor & dignitas in autore ipſo permanet: non in alio extrà opere quopiā eſt ſpectāda. Sed quorſū hęc tot & tāta? Nempe huc ut ueniremus, quod iam breuiter compræhendendū eſt: ſummā eſſe hominis præſtantiam ac nobilitatē, rectè ſemetipſo uti, ad eos quidē uſus, ex quibus decus, et dignitas, et pulchritudo: nō in externa aliqua re, ſed in eo ipſo, qui utitur, hæreat et cōſtituta ſit. Hoc ſi aliena lege præſcriptoq́ gereretur, et ad tenēdū uitæ ordinē hūc atq; curſū, ſine errore ullo natura ſola ſufficeret: nō eſſet opinor, cauſa, quur diſciplinā aliquā agēdæ uitæ q̄reremus: principijs enī naturalibus abunde ſuppeditati, ſup

uacaneis

tracaneis laboribus et curis nõ impli caremur. Si uero hoc lumine obſcuro atq; occulto, naturæ quidẽ ipſius inſtinctu, ad magnas quaſdã res appetẽdas agi ſtimulari nos ſẽtimus: quę uerò illę res & cuiuſmodi, quòue in loco poſitę, et cõſtitutę ſint, propť ignorantiã minime ſæpe animaduertimus: nobiſq; tãq; in tenebris errabũdis, aliud pro alio frequenter accipitur: ex quo offenſiones, & peccata, & præcipites lapſus, ſcopuli deniquè uitæ penè innumerabiles exiſtunt. Amabò ſi qua eſt ars, aut ſcientia, quæ ſe nobis caliginem hanc ab oculis erepturam, iterq; rectam demonſtraturã polliceatur, & ad eos fineis nos deducturam, qui maximè è natura ſunt, & in queis ſumma & abſolutio uitæ noſtræ contineatur: eritne quiſq; tã abhorrẽs ab æquo et bono, qui ad hãc uocẽ occludere aureis ſuas, tantiq; pmiſſi magiſtrã deſpicatui ducere, et preterea exagitare cõtumelijs audeat? Atqui hoc promiſſũ, hoc munus, hoc officiũ Philoſophiæ eſt:

illaq́ꝫ nobis hanc doctrinam pollicetur, ut nobis quàm optimè uti, et dirigere actiones noſtras ſine errore ullo poſsimus. Quid ergo eſt? Nihilne hoc uobis uidetur: an cęterorum omnium longè maximũ? nam reliquis quidem rebus quum utimur, agro, ueſte, ædibus, equo, mancipio, neque omni tempore illis, & cũ eis unà nobis quoq; ipſis utimur: noſtri autem uſus, cùm plurimus ubiq; eſt, tũ nullo unquã uel minimo temporis momento intermittit: ſiue enim laboramus, ſiue requieſcimus, ſiue ruſticámur, ſiue ſumus urbani, ſiue publicam agimus rem, ſiue priuatam; ſiue cum alijs, ſiue ſoli nobiſcum, ſiue in ſerijs, ſiue in ludicris ſumus: nulla unquàm eſt intercapedo tẽporis, quin aſsiduè, perpetuò, ſine intermiſsione ulla nobis ipſis utamur: quod, quũ in omnem prorſus uitam permanet, atq; pertineat, ſi prauè perperámq; agatur, miſeram mehercule & infelicem neceſſe eſt à nobis dei uitam: cõtráque ſi bene, ac prudenter, beatam

atque

atque felicem. Hoc totum igitur eſt, quod Philoſophia profitetur: daturam ſe nobis uiam & rationem, qua nobis ipſis quàm rectiſsimè utamur: quod cùm promittit, eadem nobis opera beatam uitam ſe daturam promittit. Atque hæc eſt illa una omnis ſapientia, quæ nos ſimiles Deorum immortalium, & eorum uitæ æmulatores eſſe facit: quæ ſola conſtituit beatam uitam atque confirmat, ſi nobiſmet ipſi aptè, decorè, cõmodè, ſemper utamur. Quam quidem ad excellentiam cognationémque diuinã, niſi lumen nobis Philoſophia præferret, non modò aditum non inuenire, ſed ne ueſtigio quidem ullo duci ad indagandũ poſſemus, ut ſine ſenſu, ſine guſtu, ſine ſapore ullo præſtantiſſimæ uitæ, futuri ſemper fuerimus, niſi ducem nobis ad uiuendum adhibuiſſemus Philoſophiam. Declarat hoc, & magis quidem quàm uellem, communis hominum uita: quæ uulgo ignara ſui met, ſeſeq́ in uſum quẽadmodum adhibere debeat, parum

attendẽs: in tantis uerſatur errorem, & ignorantiæ tenebris, ut non incredibile modò ſit, tantam uim mentis atq; ingenij, quantam in hominibus natura inſeruit, cęcamq;, & propè, amentem aberrare rationem: uerùm etiã miſerandũ. Quotus enim quiſq; eſt, ex eo genere etiam hominũ, Phædre, qui ſapientiæ illius tuæ præceptis inſtituti, diuitias et poteſtates ſibi potiſsimũ aſciſcunt: qui quũ ſibi optimè conſulere credat, dum bonum illud occulto naturæ inſtinctu appetit, cuius formam & faciem propter ignorantiam neſciat, non ruat præceps in aliquod dedecus: eosq; æſtus animi, atque angores contrahat, qui uitam efficiunt amariſsimam? Neminem nominabo, neque ſanè neceſſe eſt: obruimur enim exemplorum copia. Sed certè communis uita uſq; eò ueris bonis, & recta uiuendi regula, ac ratione orbata eſt, ut neq; in cupiditatibus modum, neque in aduerſis ſecundis'ue modeſtiam ſciat retinere, Cuius quidem erroris tam latè

diffuſi,

diffuſi, támque uniuerſi, correctionem, ſola Philoſophia pollicetur, ſi quí reperiantur, quí ſe illi curandos inſtituendósque permittant. Sit igitur hæc à nobis, tanquam primis ducta linea mentis, ſimplex adhuc, et inchoata Philoſophiæ deſcriptio: eſſe eam ſcientiam uidelicet, ſemetipſo rectè conuenienterque utendi: atque ita utendi, ut totius hominis uſum, & uniuerſam in homine rationem ipſa complectatur. Nam cæteræ artes atque ſcientiæ, quæ nominatim alicui certo generi addictæ præfectæque ſunt, et in eo uno uerſantur, non ſunt hominis propriæ ut homo eſt, ſed talis hominis, puta geometræ, aut ſtatuarij, aut muſici. Philoſophia autem totum illud ipſum quod eſt homo, perficit, atque exornat: id porro integrum quiddam eſt, & uniuerſum, è quo ceu fonte ex ampliſſimo, deducti riuuli, in ſingulares deinde; & limitibus certis circunſcriptas diuiduntur artes: in quas ſingulas tantum de homine ingre-

ingreditur, quantũ de ratione, quod multò quidem contractius, anguſtiusq́ eſt, quàm totus homo, & tota ratio. Quare quę uniuerſam rationem ſciẽtia perpolit, ea meritò ars artium nominanda eſt, & ſcientia ſcientiarũ. Sed quãdo primã Philoſophiæ quaſi formã delineauimus, ducẽdi nunc colores ſunt, ſingulaq́ illuſtranda: et omnes eius pulchritudines, quæ innumerabiles penè ſunt, in ſuo lumine collocandæ. Diximus Philoſophiam ſcientiam eſſe bene et laudabiliter ſemetipſo utendi: in eoq́ munere, ſi quis id aptè riteq́ exequatur, beatam uitã præcipuè contineri diximus. Nunc iſtud ipſum munus præclarum atq́ eximium, quibus ab initijs naſcatur, intelligi nobis oportet: nempe enim rectũ nullius rei uſum tenere poſſumus, niſi prius cognouerimus, quid illa res ſit, & quam uim habeat, quáſq́ ad res agendas à natura ſit parata. Itaq́ primo inceptu, ſtatim ad præceptum illud reuocamur, quod in foribus Delphici templi inſcriptum,

ſcriptum, quia ſuperius ingenio uidebatur eſſe hominis, uni omnium Deo prudentiſsimo eſt attributum: Nos uidelicet ipſos ut noſcamus. Et nimirum ſi commodè uti nobis ipſis uolumus, ab hac cognitione proficiſcamur oportet: quî em̃ poterimus rectũ tenere iter, ſi neq; naturam noſtram ipſi, nec quæ naturæ conſentanea ſunt, percepta habuerimus? Noſcendi igitur nobis noſmetipſi, & in id curriculũ uitę inducendi, in quod natura ipſa nos immittit. Quæ ſane noſtrum cognitio, non ab exquiſitis et abditis primò ratiõibus, ſed à communi hominũ intelligentia petendã eſt: fit enim poſtea increbreſcente ſtudio, & progredientibus rationibus, ut noſtri nobis notio in dies reddatur certior. Quæ ex his quidem in præſentia quæ ſunt in prõptu, et omnibus patent, explicãda nobis eſt, in conſpectuq; ponenda. Perſpicuum enim eſt, idq; plane extat, treis eſſe in hoc inferiore mundo animantium naturas, quorũ partim uiuunt dun-

taxat.

taxat, idq́ alieno munere, nihil ipſa afferentia ex ſeſe, quam ob rē hoc magis, quàm illud ſequi, et appetere uelle uideantur: quā uitam degunt cunćta ea, quę tenētur ſolo infixa, eamq́ uegetabilem uitam appellamus. Partim iam ſenſibus prædita, & ſuū aliquod nacta uiuendi iudiciū, uim habent à natura inſitam diſcernendi quodcunq; oblatum illis fuerit: idq́ uel appetendi, uel aſpernandi, uel inſequendi, uel fugiendi. Tertiū porrò genus & reliquū eſt, quod cùm ambo iſta contineat in ſeſe, ut et uiuat, et ſentiat; habet præterea præpoſitam hiſce omnibus, & antecellentem honore, atq; imperio, rationem, ſupra quā nullus iam eſt ullo ex genere uitam hic degentium, nobilitatis aſcenſus. Atq; hæc tria ſimul copulauit in genere humano, intexuitque natura. Sed duo hic animaduertēda ſunt, unum quod patet ex ſe, manifeſtūq́ eſt, in his tribus ſcilicet naturæ quaſi generibus, quod maximè neceſſariū ad uitam ſit, id cæterorum eſſe indignißimum

gniſsimũ, maximeq́ ignobile: quod iam cum ſuperioribus noſtris ſermonibus congruit, quibus dignitatẽ à neceſsitate nunquã non ſegregatam eſſe diximus: & reuera ſeruum ſemper eſt natura id, quod obnoxiũ neceſsitati eſt: liberũ enim ius ſuum nullum id habet, ſed ad alienũ imperiũ præſtò eſt ſemper, nec ullo dignitatis ſuæ honore cẽſetur: hoc itaq; unũ non tam nunc quidem poſitum à nobis eſt, quàm à natura omnibus propoſitũ, animã illam quæ uitæ ſoli ſit attributa atq; addicta, quã uegetabilem appellamus, in toto animali genere longè ſubiectiſsimam atq; ignobiliſsimã eſſe, infimũmq; eam locum obtinere. Alterum uero duorũ, quæ diximus, diligentius aliquanto nobis eſt attendendum: omnem uidelicet naturam, quæ non ſolitaria ſimplex'ue ſit, ſed ex pluribus quaſi rebus conflata conſiſtat, genus habere ſuũ, propriámq; generis appellationem, ex illa parte ſui, quæ in quaque re eiuſmodi princeps ſit; quod in

con

coniunctione pluriũ, uni ſemper naturæ traditus principatus eſt. Quod cũ ita ſit, & in nobis longè dominet ratio, principatũq; ipſa teneat: quicquid ſumus ipſi, totum id accipimus & poſſidemus è ratione, ut ſit ratio illud ipſum planè, quodcunq; eſt homo: Sequitur deinceps, ut diſtinguamus quæ harum partium cuiuſque uis, quęq; facultas ſit, ſeorſum primũ & per ſe, deinde in iugatione cũ alijs partibus copulatúque expoſita: Etenim aliud eſt, quod unaquæque animæ pars per ſe ſingulariter agere nata eſt: aliud, quod in aliarũ partium comitatu & coniunctione: quod naturæ ſimplicis, ſimplex eſt actio: conflatæ, mixtæq; coniuncta. Sed de mixtis mox, nunc ſimplicia illa munia, atque officia ſingularum animæ partium uideamus. Ac illius primũ quę ſine cura ulla noſtra, ſine rectione uiuit in nobis ac uiget, quam uegetabilem animam nominamus, ea enim eſt qua alimur, & ſuſtẽtamur, & extenuamur, & augeſcimus; accipimúſque

que habitum hũc, & figuram corporis quæ in nobis eſt, & fingimur carnibus, oſſibus, neruis, cute, ſanguine, & ad gignendum quod in eodem genere ſimile nobis ſit, natura proniſſumus: cui ſunt animæ quędã membra attributa, quæ ſine nutu noſtro, & conſidant, & excitentur, eáque eſt una fundamentum & ſtabilitas animarum reliquarũ: quæ niſi adeſſet, neque ſenſus in nobis, neq; ratio eſſe poſſet: & tamẽ ipſa ita eſt neceſſaria, ut ſit reliquarũ longe infima. Atque hactenus ferè huius animæ pertinet poteſtas. Illa uerò ſentiens, quæ aliquo iam cognoſcẽdi iudicio prædita eſt, uim habet ſibi peculiarem uidendi, audiendi, tangendi, olfaciendi, guſtandi: atque inter hæc ſenſilia differentias notandi, contrariaq; in ſuo cuiuſque ſenſili genere diſtinguẽdi: necnõ rerum motus, figuras, magnitudinéſque percipiendi, oculis quidem & aſpectu quàm maxime, ſed cæteris quoque ſenſibus nonnihil. Eiuſdem eſt animæ officium, ea quæ

ſenſibus ſemel comprehẽſa ſunt, etiã poſtea ꝙ illa abierint è conſpectu; interiore nihilominus animi facultate quadã, imaginibus repræſentare, & tanquã in theſauro in memoria recõdere, aliquantumq́ ibidẽ temporis ſpatium cuſtodire: quod illis formis, & imaginibus, ad inquirendũ maxime aliquid, & ad declinandũ, animalia moueantur. Tertia eſt ratio peculiaris generis noſtri, quæ nullo alio in genere animantium cernitur: per quam nos omnibus mũdanis rebus præfecti ſumus, cuius munus proprium & primaria facultas eſt, intueri quidem illud primo, & per ſe, quod ſemper idem eſt, atq; eodẽ modo ſe habens, quod neceſſario immortale eſt, atq; diuinum, in eoq; tanquam in familiari & cognato genere uerſari, ueritatiſq; ibidẽ paſci cibo, ſuauiore multo, quàm ambroſiæ & nectaris. Quandoquidem in eis ſolis, quæ ſibi perpetuo conſtant, & uſquequaque immutabilia ſunt, habitat ipſa ueritas, eadẽ in fluxis & cõtinẽter labentibus,

tibus, tanquam ſimulachris & ſimilitudinibus illudit. Sed ſi ad hæc quoque, quę nō uniuſmodi ſemper ſunt, ipſam conuerti rationem oporteat, in ijs eius ſit officium præſcribere, ordinare, dirigere, imperare: quod huius naturæ præcellentis ac diuinæ ſolius eſt imperandi, & præcipiēdi poteſtas. His ſingulatim de unaquaque partium animæ à nobis ſic expoſitis, ueniendum deinceps eſt ad functiones eas, quæ ex partium coniunctione inter ſe, copulatúque exiſtūt: quarum medius fidius incredibilis eſt multitudo, nec numero ea ſolùm, ſed modis etiā, & conditionibus, multiformis, ac uaria. Sed nos genera duntaxat ipſa perſtringemus: ad minutiſsimas partes explicandas non accedemus. Ex parte igitur ſentiente, & uegetante, ambarúmque inter ſe iugatione, atq; complexu, primum cura & ſtudium cuſtodiendę ſalutis, deinde uoluptas, moleſtiáque exoritur. De ea uoluptate nunc loquor, quæ maximè ſentitur in ipſa coniun-

ctione moleſtiæ, ut ſitientis eſt ideo cum uoluptate bibere, quia cum mo leſtia ſitiat: cuius quidē moleſtiæ ea eſt uis, ut cùm primum deſierit ſitit, ſimul item deſinat bibēdi delectatio: hoc genus uoluptatis (nam eſt aliud quoddam purius, atq; præſtantius, quod nulla omnino admixtum moleſtia eſt, de quo alio loco fiet mētio) hoc inquā mixtæ uoluptatis genus, quod etiam uehemētius uideri ſolet, propter appoſitionē, adiunctionēq; cōtrarij. Dicimus ex hac copulatiōe ſenſibilis et uegetabilis animę primo naſci, ut in ipſa quidē uegetabili ſitū, fundatúmque ſit, à ſentiente autem percipiatur & iudicetur. Verùm habet id terminatas in animantibus cæteris uarietates, in homine uerò ſi rationalis anima huic curæ ſe ſubmiſerit, et ad ſectādas huiuſmodi uoluptates ſit cōuerſa, crebrius idē multò, & multiplicius factum, innumerabiles illas gignit cupiditates, quas uolitare in anima ipſa paſſimq; diſcurrere ac tumultuari ſentimus. Hinc iræ, hinc

hinc reconciliationes in gratiã, hinc amores, hinc odia, hinc libidines, hinc ambitus, hinc ſuſpiciones, obtrectationesq́ꝫ, hinc alacritates, conſternationesq́ꝫ animorum, & quæ quaſi capita omniũ huiuſmodi perturbationũ ſunt, ſpes, metus, lætitię, dolores. Sed nos his breuiter percurſis, ad illam alterã complexionem, temperationemq́ꝫ rationalis animę cum reliquis duabus naturis, accedamus. Ex qua quidẽ copulatione non pauciores profecto q̃ ex cęteris effectus proueniũt: etſi ex alieno hi tamẽ ſunt genere. Nanqꝫ ipſa ratio, quæ ſi pura ſit per ſe atqꝫ ſimplex, in eo, quod idẽ ſemper eſt, contemplando, perpetuo inhæreat, neqꝫ ſponte ſe uſqꝫ à diuina illa diſiũgat ueritate, indidẽ huc euocata, atque huic corpori nodo inextricabili, quoad in his fuerit locis, ad ſtricta, comitatu importuno ſenſuũ, & cupiditatum, deſciſcat à ſemetipſa neceſſe eſt: & ad hæc infirma, inſtabiliáque conſyderanda torqueatur: quorum primo obtutu tanquam ca-

ligine occæcata atq; cõniuẽs, ut quæ ex illo illuſtri æternæ ueritatis loco, in tenebras repente uenerit, aduocare ſibi cogitur cõmunes quaſi adminiſtros & ſuos & ſenſuũ, per quos itẽ cõmune opus cũ illis una peragat, atque exequatur, fidẽ, opinionẽ, conſilium, cogitationẽ: quorum fides quidem mẽtis animiq; eſt aſſenſio, aſſertioni credẽtis, quæ ſine ratione quippiã confirmet: opinio autẽ intus concepta exiſtimatio eſt, non ſine ratiõe quidem, ſed tamen infirma ratione ſubnixa: quę rẽ aliquã arbitratur aut eſſe, aut nõ eſſe, aut huiuſmodi eam, aut alio modo exiſtere: ac in his duobus ratio conſiſtit tamẽ, & requieta eſt, q eo eſt contenta, quod quoquo modo ſibi fuerit oblatũ, in illo aũt altero pari, conſilio, cogitationeq;, iactatur adhuc, poſitáque eſt in motu, necdum eò peruecta, quò affectat & tendit: eſt enim conſilium, quaſi itineris & uiæ inueſtigatio quædam, conquiſitioq; adiumentorum, quibus id queamus, quod deſignauimus conſe

qui,

qui,cogitatio uero eiuſdē fermè mo/di eſt indagatio:uerum non ea efficiendi,quidem quippiā, ſed tantùm intelligendi cauſa ſcuſcepta. Hactenus informata nobis ſit, & tanq̃ leui ducta penicillo agnitio noſtrimet,quæ etſi propria Philoſophię cōſideratio eſt, nō maxima tamē uidetur indigere admonitiōe ad ſpectandū & percipiendū. Nunc hoc rationale animal, quod uocatur homo,tribus ex naturis cohærēs atq; conflatū, quod fungi debeat actiones,& ſingularum naturarum proprias, & omnium communes: fungiq; ratione & ordine,ſi uitam eam uelit degere, quæ felix & beata ſit, tradamus Philoſophiæ inſtituendum,ac poliendum:ut uideamus ſi dictis eius atque promiſsis, facta etiam conſentiant. Quid promittit illa autem? nempe ſcientiā ſe & facultatem homini prębituram,qua is ſemetipſo commodè uti& ad omnia rectè exhibere ſe poſsit. Atqui nihil omnium rerum melius,neq; præſtabilius profecto eſt,neq; ego ſolus hoc
 dico,

dico, ſed tu quoque Phædre, & quicunque educti liberalius ſunt: nemóque potius omnium mortaliũ tam abiecto animo, tamque infima & ſordida conditione uitæ eſt, quin ſi diligentius conſulat ſemetipſum, et cogitationes ſuas expendat, hanc huiuſcemodi ſcientiam omnibus anteponat opibus, atque fortunis: quippe qui ex ea ſe aſſecuturũ omnia optata ſua cõfidat, & ad ſuorum uotorum ſummã peruenturum. Veniat igitur in medium promiſſum hoc magnificum, & graue, ut excutiatur à nobis, & conſideretur, in quo ſic primum ordietur Philoſophia. Etenim fingamus ſiſti illi à nobis & commendari, ac de manu in manũ (ut aiunt) tradi hũc eum ipſum, quem cupimus huius tam eximiæ facultatis, & præclari ſui met uſus fieri compotem: illa enim, credo, ut primùm aſpexerit adoleſcentem, noſtrósque ſermones audierit, hac initio ſtatim oratione utetur: Equidem præſtabo (inquiet) quod pollicita ſum, uiámque bene & beatè uiuendi

di ſine ullo errore tradam: ſed opus eſt animo nō repugnāte: quanquàm hoc fortaſſe non ſatis ſit: ingenium adſit oportet, & ueluti oculi in corpore, ſic in mente luminis acies, ad intuendam formam ueræ pulchritudinis à natura parata: quam poſtea ego quocūque fuerit opus, meo arbitratu dirigam, atque conuertā. Sed quod dixi de nōn repugnantia, ob eam cauſam dixi, quòd ferè ad me qui accedunt, afferunt prauas ſecum è uulgo opiniones, quas nulla noſtro ratio poteſt euellere: aut enim in aliqua populari ſentētia ſtatuti atque firmati, uelut expetēdas præcipuè eſſe opes, honores ambiendos, uoluptatē ſequendam, ad omnem deinde uocem ueritatis obſurdeſcunt: aut etiam ſi rationi ſe præbeant dociles, uno aliquo uitio, nonnunquam etiā pluribus contaminati atque imbuti, per multa ſecus faciunt, quàm uera illis dictet, ac pręcipiat ratio. Ex quo neque illis magna ex me utilitas, et mihi grauis ex ipſis calūnia conflatur. Videor enī poſtea

ob hanc præcipuè cauſam, ſapientiã tradere, non rerum, ſed uerborum: quod tamen ſecus eſt: mea enim diſciplinæ inſtitutio, ad res potiſsimum, & ad facta ipſa ſpectat: formatrix autẽ orationis hactenus quoq; ſum, ut ſine fuco & fallacijs, cũ optimis eam moribus, & cum præclaris animi cogitationibus uelim cõgruere. Quòd ſi tu (ita enim proſequetur ad adoleſcentem conuerſa) ita ad nos paratus uenis, ut te nobis totum ſis permiſſurus, eijcias è te ipſo oportet omnem opinionem alienam conſtantis & firmæ rationis; animúmq; tuum mihi purũ & purgatũ præbeas, quo poſſim ego in eo diuinam illam ſpeciem, quę à me una fingitur, atque exprimitur magnanimi uiri, & uerè præſtantis inſcribere. Quid reſpondebit adoleſcẽs? primùm pudore credo deijciet oculos: pòſt nouis quibuſdam ardoris ſtimulis, ad ſpem magnarum rerum intrinſecus excitatus, quod de Alcibiade ſcriptũ reliquit Plato, flens ſeſe & ſalutẽ ſuã Philoſo

phiæ

phiæ commendabit. Sequetur itaq; primam illam noſtrimet, quam diximus, cognitionem, altera præceptio: ut conſideremus attenteq; intueamur, quũ trium illarum partium, ex quibus conſtituti ſumus, ſingularũ proprij & ſui fines ſint, in queis cuiuſq; earum ſit poſitum bonum: nos ex naturis illis omnibus in unam rẽ cõflatos, nõ poſſe unius tantũ partis extremo & fini contentos eſſe: ſed quemadmodum treis animę habitus & facultates obtinemus, ita tria nobis habere propoſita bona, quorum ſingula partibus ſingulis, coniunctè autem omnia uniuerſitati ipſi conueniant. Perſequamur enimuero quod cuiuſq; partis extremũ atq; idẽ bonũ ſit: quò melius deinceps queamus iugũ illud, et uinculũ totius cõmunionis aſpicere. Illi igitur parti et animę inferiori ac ignobiliori, ꝑ quã ſuſtẽtamur, et alimur, ceu finis et ultimum incolumitas propoſita eſt quæ eadẽ ſalus et uita eſt intelligenda, genusq; illud boni, ꝙ utile appellatur in hoc

genere

genere animæ precipue eſt fundatũ: utile enim potiſsimum id uocamus, quod ad ſalutem & incolumitatẽ uel dandam, uel conſeruandam, uel reſtituendam etiam pertinet, quod inter reliqua bona maxime neceſſariũ eſt: etenim eſt ceterorum tanquã ſolum, fundamentumq́ʒ bonorum, quo ſubducto, atq́ʒ ſublato, reliqua non uideantur bona uſpiam poſſe conſiſtere. Atq́ʒ huius quidẽ etiam boni participia illa ſunt, quæ omni carent ſenſu: ut ſtirpes, arboresq́ʒ & cætera eiuſdem modi, quorum eſt natura in toto animanti genere longe ſubiectior: nihilq́ʒ in ſe continẽs, niſi quod neceſsitatis ſit: ideoq́ʒ honore nullo, nec nobilitate prædita. Altera eſt natura iã ſentiens, uimq́ʒ & facultatem habens huiuſmodi inſitam, ut afficiquodammodo rerũ appulſionibus, idq́ʒ ipſa ſentire, ac proptereà moueri ad appetendum, uel ad aſpernandum, poſsit: cuius finis & proprium bonũ intelligitur uoluptas: certè enim niſi aliud quid præſit, quod moderetur,

deretur, et corrigat, ſemper ut ad ſuũ ſummũ, ſummeq́ expetitũ bonum, ſenſus ad perfruendã rapientur uoluptatem. Tertiũ porrò animæ genus, quod rationis particeps, uel ea ipſa potius eſt ratio, cœleſte atq; diuinũ: cuius præ nobilitate ac præſtãtia, reliqua genera aut nullius quodammodo, aut certè ita parui ſint momẽti, ut ne comparãda quidẽ ſint: finem ſuum & ultimum propoſitũ ſibi habet, ſi ipſum per ſe ſolũ ſpectes, ſcientiam & ueritatẽ, ſi cum reliquis coniunctum, decus atq; honeſtatem. Eſt enim honeſtas, quam eandem dignitatem, decentiam, amplitudinémq́ appellare iure poſſumus, ſi acute inſpiciamus, nil aliud profectò, quàm ueritas, cum reliquis aliarũ partium finibus, utilitate uidelicet, uoluptatéq́ coniuncta. Vt enim luminis natura candens ipſa per ſeſe, et ſuo quodam ſplendore lucida, ſi illuſtrandis rebus admiſceatur, colores eos excitat, qui uarietate et pulchritudine decẽtes ſunt. Sic ueritas adiuncta homi-

 num

nũ ſtudijs & affectionibus, cùm in agendo, regẽdo, communicãdoq́ exprimitur, illã in primis gignit, quã ingenuæ mẽtes tantopere mirantur, conuenientiã rerum omniũ, et dignitatẽ. Atq; his tribus finibus proprijs triũ partiũ iã cognitis, in quorũ unoquoq; ſuũ cuiq; parti bonũ eſt: uideamus nunc totũ hoc complexũ, & copulatum, quod eſt homo, quos ad fineis à natura directum ſit, & quam uitam agere debeat, quoq; modo ſemetipſum in uſum ſui adhibere, ſi ad extremum & ultimũ ſuæ naturæ bonum ſit peruenturum. Atq; horum quidem trium, primum illud Philoſophia dũtaxat docet: reliqua autem duo prætereà etiam tradit. Quid eſt autem quod doceat? Nẽpe ſicut nos coniuncti, & temperati ex tribus naturis ſumus, ſic tria illa bona in unũ miſcenda nobis eſſe, & capienda, ſi beatam, & expletam ſuis omnibus numeris uitã uelimus cõſequi. Quid ais Zeno? Quid nouas uerborum contechnationes implicas, quibus

nos

nos captare, & illaqueare coneris? Bonum eſſe quod honeſtum ſit: Aſſentior, & ex præſtantiſsimo quidem genere confiteor eſſe bonum: At id ſolum bonum, prorſus nego: niſi aut unicum tantummodo bonorum genus in natura rerum ſit: quod cuinam quæſo queat probari? cùm omnibus rebus natura et ſpecie inter ſe plurimum differentibus, ſuum cuique earum in fini atque extremo ſit poſitum bonum, quod eſſe idem diuerſorum, non poſsit: & ni ita ſit, fruſtra pleraque creata à natura, & nullos ad fineis effecta intelligantur. Aut ſi alia quoque bonorum genera ſint, quoniam de hominis bono nominatim nunc quærimus, ex unica natura nos, hoc eſt, mente duntaxat & ratione, oporteat eſſe factos. Atqui aliàs præterea naturas in nobis obtinemus: Vbi ergo repentè deſerimus illarum bonum? quod ſi aſſequi poſsimus, intelligamus id certè ad aliquam partẽ noſtri pertinere: Niſi fortè reliquarum partium

bona

bona ſtare, atq; coniungi cum ratio-
nis bono non poſſunt: quod uſq; eò
falſum eſt, ut in illis præcipuè ſibi ac-
cõmodandis, & concordibus ſecum
faciendis, eniteſcat et elaboret noſtra
ratio. Sumus ergo ad iſta tria bona
& appetenda, & conſequenda à na-
tura facti: quorum quidem commu-
nio bonorũ, in ipſa partiũ noſtrarũ
coniunctione ſpectatur. Sic enim de
bemus exquirere, & conſectari ſin-
gula, ut ad cõmunitatem tamen om-
nia referamus: atque hic illud perui
dendum eſt, uſque eò congruere tria
hæc inter ſe bona, & uelut conflata
eſſe, ut quanquam unumquodq; illo
rum ſuo & proprio genere cẽſeatur,
ſocietatem tamen cum reliquis gene
ribus, & naturalem quandam intel-
ligatur habere cognationem: nam et
quod utile cui eſt, id ſuapte etiam na
tura conueniens illi eſt, ac iucundũ:
& honeſtas ſuam utilitatem ac iucun
ditatem ſecum adiunctam habet: &
cum uoluptate, quæ è natura ſit, ſua
eſt utilitas, cõuenientiaq; coniuncta.

In quo

In quo perſpicuè natura contra Stoicorum rationem decernit, illud uerè perfectum, & cumulatum hominis bonum eſſe, quod ſit ex his tribus in unū quaſi temperatum, atq; mixtū. Sed nos cum ſuos cuiusq; naturæ fineis appellauimus, illis nominibus ſingulos indicauimus, quæ præcipuam, & principem in una quaque natura rationem boni declararent, ad quam cætera adiuncta bona pro acceſsionibus ducerentur: quemadmodum in ſequentibus fiet manifeſtum. Eetenim notatis iam, & conſtitutis finibus ad quos hominis uita, naturaq; contendit, aperiendus dehinc eſt cōmunis penè cunctorū hominū error: quos ignaros, quatenus quicquam conueniat, illámq; partiū in nobis conſenſionem uiolantes & diſtrahentes, ſtultita in uita quaſi furia quædam, incitat, atque perturbat: ut neque placati ſibi ipſi, neq; cū cæteris concordes eſſe poſſint: quos cùm ab hoc tanto malo ſe abducturā Philoſophia polliceatur, et in poſſeſ-

ſionẽ ſummi boni inductură, perſpi ciamus, quæſo prius aliquantũ magnitudinẽ mali: ut quantũ deinde illi beneficiũ debeatur à nobis, melius agnoſcamus. Etenim ſi quiſquã eſt, cui hæc tanta communis uitæ confuſio curã aliquã inijciat noſcendi, & contẽplandi, unde illa et quibus quaſi radicibus exorta, quotidie magis fruticetur, & ingraueſcat: is reperiet primũ ignorationẽ ſui in uno quoq;, deinde prauũ uſũ, qui nec rectus eſſe ignorãti ſemetipſũ poteſt, hãc tantã errorũ ſyluã profudiſſe, per quã excluſa luce ueritatis, totũ ferme uitæ iter nobis impeditum atq; cæcum factũ eſt. Nam ut fines eos, ad quos natura generati ſunt, nequaquam homines mente, & intelligentia compræhendentes, feruntur fortuitò, & temere: & ut ad unum aliquod ſtudium, quaſi fluctu, delati ſunt, ita inhæreſcunt in eo, cæteraq; noſſe & ueſtigare contemnunt: ex quo ſtatim diuellitur in nobis naturæ illa cõſẽſio, maiorq; pars noſtri neglecta à nobis in-

accurataq́ relinquitur: Aut qui plureis fineis tenere conſtituunt, ignari quid poſtulet illorum unuſquiſque, & quantum cuique tribuendum ſit; inepta & diſpari compoſitione, non illos cõciliant inter ſe, ſed cõmittunt: ex quo ſeditiões graues, & prælia in animis intus excitari neceſſe eſt. Ac ut rem exemplis notiorẽ faciamus, diximus utilitatem, uoluptatem, dignitatem, humanorum eſſe deſiderior ũ ultima, copulata ipſa inter ſeſe, quando & nos conflati ex triplici natura ſumus; ut cuique naturæ ſuũ ultimum ſit, non illud quidẽ adiunctũ omnino, & ſeparatum à cæteris, ſed proprium tamen cuiuſque, atque præcipuum. Quid ergo? Nónne cernimus ex hominum numero non nullos, qui quum utilitatem nimis adamauerint, quòd ad eam ſunt, aut conſuetudine diuturna, aut propinquorũ imitationie atq́ exẽplo, ut æqualiũ hortatiõibus adducti, paruã uoluptatis eius quę alieno ex genere ſit, nullã omnino dignitatis ducunt

 rationem;

rationem: ſed ambo hæc genera reli-
qua in una ſibi utilitate conſtituẽtes,
uni illi ſeruiunt uitæ, quæ animanti-
bus quoq; reliquis & ſtirpibus com-
munis eſt, cuius fundamẽtum & ſta-
bilitas in parte animæ ignobiliſsima
conſiſtit: reliquas uero naturæ par-
tes, deſerunt, atq; deſpiciunt. Itaque
rei faciundæ maxime addicti & man
cipati, nullum ſordidum neque tur-
pem iudicant quæſtum, unde ad ui-
tam utilitas aliqua perueniat: ex quo
infinita in illis quotidie magis pecu-
niæ cupido adnaſcitur. Atq; hi ſunt,
qui ſolliciti ſemper & anxij, minuta-
tim & pauxillatim omnia expenden
tes, nati eſſe uidentur ad omne perfe
rendum dedecus: litigioſi, difficiles,
ſcrupuloſi: qui ne irriſi quidẽ, & ludi
brio habiti, animaduertere poſſunt,
quàm miſera conditione uiuant, tan
tumq; illud pertimeſcũt, ne q̃d ab ijs
petatur, aut auferatur: itaq; & fugiũt
bonorũ cœtus, & à conſuetudinibus
hominũ abſtinent, nec audẽt quicq̃
facere, aut dicere unquam fortiter.

Hos

Hos tu homines eſſe ſtatuas, infimæ illi uitæ, & ignobiliſsimo generi bonorũ addictos, ac tanquã ſpongias lapidi, ſic ipſos auro affixos & pecuniæ? His è regione alij, nulla neq; uitæ, neque utilitatis habita ratione, ad uoluptatẽ unam toti ſunt delati: in eaq; exquirenda undiq; ac perfruenda, ſummam ſibi uitam conſtituunt: cuius quidem uoluptatis, eius nimirũ quæ populo et nota & nominata eſt uoluptas, regnũ in parte naturæ ſentiente conſtitutũ eſt: nam neq; uoluptas eſt, niſi ſentiatur, ſenſusq; perfundantur & deliqueſcant ex ea. Et memoria præteritorum, expectatioq; futurorum, quæ ambo in ſolis ſentientibus ſunt, productas tempore & ſpatio, facit ſentiri uoluptates, quas ſola inſtãtis breuitas temporis inanimaduerſas & imperceptas trãſire cogeret. Ergo ad uoluptatẽ q ſunt omni ſtudio cõuerſi, cùm genus eius nullum repudiẽt, nec prætermittãt, in eo tamen genere plurimum adhæreſcunt, quod ex ſentiẽte ac uegetãte

animā coniunctū eſt: quando id quidem omnium eſt acerrimum, & ad concutiendum totū hominem maxime uehemens: eſt autem id poſitū in eo, ut cùm pars illa uitalis & uegetabilis, quæ cæterarum partium rudis & corporea maximè eſt, defectionē naturæ ſuæ, & maiorem aliquem diſceſſum à temperamento patitur, in quo moleſtia iam ineſt, & quaſi naturæ triſtitia quædam non mediocris: ſi ſubleuetur, ad naturamq; reſtituatur, incredibili quadā uideatur ſibi perfrui ſuauitate: quod ut in comparatiōe nigri color albus, ſic in adiunctiōe moleſtiæ uoluptas acrior ſenſibus noſtris appareat. Atq; hæ huiuſmodi in primis plebeiæ & ſordidæ ſunt uoluptates, quæ ab hominibus nequam atq; ignauis potiſsimum expetuntur, quarū uim conditionemq; cunctarū, in una ſi placet ſpecie, eademq; notiſsima, parumper conſideremus. Eſt enim morbus uulgaris ſanè, & omnibus notus, quem pſoran Græci uocāt, nos uertimus ſcabiem: cùm

cùm ſanguis intus bilioſus & aceſcẽs ſparſim è cute conatur erumpere, & quacunque funditur, propter acumen ſtimulis pungit, inficitque corpus, & inficiẽdo pruritus acreis ciet, q ſunt quaſi fermenta quędam & nuncij appropinquantis doloris. Huic malo, & moleſtiæ ſubuenimus ſcalptione, atque unguibus, uel aſperę rei alicuius fricatione, & attritu. Ponite uobis nunc ante oculos formam atque imaginem huius pruriẽtis: uidetis ne ut miſerè ipſe ſe exerceat, mixtamque ex uoluptate & ex moleſtia, indignãtis ſimul & lætantis exhibeat faciẽ: cũque intrare eò digitis planè nõ poſsit ubi maximè fodicat, & ſtimulat uis morbi, quemadmodum cutem ſuam dilaceret, uocibusque inconcinnis obganniat, anhelitus efflet graues, & mirãdum in modum corpus, uultũ, membráque iactet, atque diſtorqueat: qualem hunc, quæſo, & quo ex genere hominem eſſe ſtatuetis? Atqui talis ferè eſt, attente ſi inſpexeritis, uniuerſa eorum uita, qui ſe potiſsimum

dicant & dedunt corporis uoluptati bus: alij enim in epulis, & ebrietatibus hoc idem efficiunt: alij in cōgreſſionibus corporum, turbitudineq; libidinum: nonnulli etiam ſitim medicamentis colligunt, ut ſi potandi maior quædam iucunditas: plures ſine ſame & ſiti, & ſine uehementi aliqua cupipitate, ſola recordatione ſuauitatis adducti, uino, gulæ, libidiniq; inſeruiunt: qui ſemet etiam inuitant ipſi, excitantq; languēteis: nihilq; prorſus præterire earum rerum uolunt, quas aliquando nouerint afferre delectationē ſolitas. Quod quidē proprium & præcipuum falſæ atq; corruptæ in nobis rationis malum eſt: idemq; non neceſſarias ſuſcitans cupiditates: Nam cætera animantia quoquo pacto ſe gerant, cum contrarijs moleſtijs ad appedentas illiuſmodi uoluptates compulſa ſunt, naturę tamen plerunq; finibus continētur. Homo ſolus corporis uoluptatē, nō neceſsitate (nam ea quidē faceret ſibi ipſa modū) ſed ratiocinatiōe falſa demetiens,

metiens, in eiuſmodi genere cupiditatum, inſatiabilis prorſus, & infinitus efficitur. Atq; horum duorũ generum quæ memorauimus, auari illius dico, huiuſque uoluptarij, tanta eſt à ratione recta animi & uoluntatis auerſio, ut nulla beſtia ſit, quàm utrunq; eſt iſtorum, aduerſus uocem ueritatis agreſtior: nam neq; caſtigatores ullos hi perferunt, & rectè ſuadentibus ſemper ſunt inimici: ipſi uero ultro eludũt etiam cæteros, ſuaq; cuiq; alibi ſtudia, quàm in corporis uoluptatibus collocãda eſſe negant, propterea quia quicquid non manu & corpore teneatur, inane id totum, & ſuperuacaneum iudicant eſſe. Sũt alij, nimis cupidi illi quidem, & ſtudioſi uoluptatum, ſed tamẽ in eo uitio aliquãto leniores, qui uoluptates potiſsimũ eas conſectantur, quæ ſenſuũ proprie ſunt: nec ita magnam habẽt cum illa corporea parte contractam rationem, ut qui muſicis & cantibus aſsiduè dediti, perſonare aures ſuas uocum, & fidium, & tibiarum cantu

tu ſemper uolunt: aut qui oculis rapi
untur in omnem cupiditatem, ut ſig
norum, tabularũ pictarum, argenti
ueſtisque ſtragulæ, gemmarum quo
que & margaritarum ſtudio propè
infinito ducantur, domos autem
ſuas ita refertas habeant atque exor-
natas, ut nihil feſtiuius, neque con-
cinnius ne cogitari quidem poſsit.
Sunt etiam qui odoribus præter mo
dum delectentur, & eorum innu-
merabilem undique conquirant ua-
rietatem. In queis tribus ſenſuum
uoluptarijs generibus, luxuria præ-
cipuè ea ineſt, quæ etſi libero homi-
ne putatur eſſe dignior, frangendis
tamen & uiri, & uirtutis neruis, uim
permagnam habet. Reſtat ut de ge-
nere illo tertio & præcellente dica-
mus, quod ſi peculiari ſuo ſolùm
munere fungatur, & in una contem-
platione ueritatis poſitum ad reli-
quas partes aſpectum nullum refe-
rat: homines efficiet ſquallenteis &
mœſtos, nil ferè habentes cũ humani
tate cõmercij: et ad omnia quę occur
rerint

ferint quaſi obſtupeſcentes. Sin autē cum ſenſibus ſociatū atq; iunctū, illis ut miniſtret, & ſubſeruiat, adductum fuerit: eo maximè adnitetur, ut popularem gloriam, et potentiam in primis aſſequatur: uimq; aliquā uehementiorē nactū, urbes, populos, regna ſæpenumero euertet. Sin autē animo fuerit infirmiore, & tenuioribus opibus, ad illa conuertetur, ut nimio ueſtitu cultúq; corporis, aut alio quodā oſtentationis artificio, cogat ſe ſpectari. Sed quid ago? ſanúsne ſum, qui tantā errorū molem quantā omnis uita fert, euoluere me poſſe atq; explicare ſim ratus? Hic Citrarius; Imo feciſti tu planè operæpretium, inquit, qui iſta nobis ante oculos adduxiſti, ex quibus facilè deinde ſit ad reliqua coniectura accedere: Video enī iā planè, & cum animo meo cogitās intueor: nō hos ſolū, qui in unius partis fini præcipuè inſiſtūt, ſed iſtos etiā q cunctarū fines partiū, atque extrema conſectātur, niſi apto cōmenſu quodā, & bene exanimata

 ratione

rationeid faciant, inæqualem eos, & confragoſam uitam ducere conficiq; ſemper ſolicitudinibus & moleſtijs: ut non minutiſsimis corpuſculis Democritium inane, q; huiuſmodi diſsidijs et conflictationibus animorum, refertior uita ſit: quibus quidē rebus lumen afferri, atq; ordinem, præclariſsimā rem eſſe, intelligere mihi uideor: ſi tamen hoc præſtari à Philoſophia ipſa poſsit. Atqui, inquam, pollicetur illa hoc quidem: Sed illud quoque, Citrari, intelligere te puto, ordinem iſtum, atque lumen, de quo narras, ſine cognitione certa earum rerum, ad quas adhibituri noſmetipſos ſumus, haberi planè non poſſe. Quid ni intelligam? inquit: an quiſquam rerum earum, quas minimè nouit, prudens director eſſe poteſt? Quid ſi, inquā, homo eiuſmodi eſt, ut ſi ſe totum præſtaturus ſit, cuius rei diſciplinam, ut antea diximus, Philoſophia profitetur, omnia illa intelligat, & noſcat neceſſe eſt: quibus cum, commercio, aut uſu, aut cognatione

natione aliqua eſt implicatus, num ti bi uidebitur quicquam in rerum na/ tura penè eſſe, quod non illi cognitũ, & perceptum eſſe debeat? Vix uideor hoc poſſe inficiari, inquit. Atqui confiteare hoc quidem neceſſe eſt: omnia enim prorſus illi noſcenda, & comprehendenda ſunt: ueruntamen modo quodam ſingulari atq; ſuo. Eſt enim duplex rerum cognitio: Altera, quæ in partibus explicat ſe, atque diſpertit: Altera, quæ in genere ſummo, atque uniuerſo eſt collecta. Pri/mam illam artes & opificia, & circunſcriptæ terminis, limitibusq; ſcientiæ: ſecundam uerò cognitionem Philoſophia ſola complectitur: atq; ut dicebamus, talem præſtare hominem, aut talem, huius eſſe, uel illius artis: ipſum autem hominẽ præſtare quicquid ipſe eſt, proprium eſſe Philoſophiæ. Item dicimus nunc in cognitione talem eſſe rem, aut tantam, aut huiuſmodi ad ſcientias arteſq; peculiares: id autem ipſum ſimpliciter, quod res quæq; eſt, ad Philoſophiã

unam

unam ut cognoſcat, pertinere. Quid eſt ergo quod uehementius homines in errorem inducat & fraudē, quàm inferioribus niti notionibus, ſuperiores autem illas & primas nō tenere? Vt puta, diuitias ſibi bonū arbitrari, cū quid bonū ſit, & quæ ſit eius rei uis ac natura, in uniuerſum non intelligatur. In quo quidem uno principe bono atq; ſummo, eiusq; cognitione & ſcientia, omnium deinde bonorum, quę ex illo effluunt, poſita & collocata eſt ueritas. An tu aliū fontem bonorū ullum & noſcendorum & tenendorum exiſtimas eſſe, quàm ueritatem? Veritas eſt lumen illud atq; ordo, quem modo adhiberi rebus aiebas oportere. Quod cùm animi oculus cognitione, intelligētiaq; comprehenderit, idq; & actionibus ſuis proponere, & præferre ſibi ipſe cœperit: tum tutò ueſtigia ponere, tum uanos illos terrores, inanésq; blanditias falſarum opinionum, quę totam improuidā uitā perturbāt, depręhēdere, atq; diſcutere, et ſe in arce

ueri boni poterit conſtituere. Veri-tas enim eſt, quæ inſtruit nos & docet, quid quæque res, quantiq; ſit, & quantum eadem nobis conferat ad uiuendum. Veritas eſt, quæ nos noſtrimet gnaros & prudentes eſſe facit: nec ſolum primam illam & inchoatam, quam ſuprà diximus, ſed abſolutam, & integram nobis dat noſtrum cognitionem. Veritas, cùm res nobiſcum, nóſq; cum ipſis rebus comparat, atque componit, modum ipſa una & dimenſum illum tradit, per quem res nobis, nóſquemet rebus ipſis ita applicamus, & adiungimus, ut neque obruamur nimia copia earum, neque remaneamus ipſi uſpiam inanes. Quid eſt, quod uerorum bonorũ et intelligentiam monſtrat nobis, & adipiſcendorum tradit facultatem? Quid nos ipſa uia & explorato itinere ad optatos fineis ducit? Quid potiſsimum facit, ut ſine metu, & ſine pœnitentia rectis conſilijs uſi, pacatam, ac iucundam traducamus uitam? Nimirum omnium

huiuſmodi

huiuſmodi bonorum, & aliorum etiam maiorum ac præſtantiorum, quæ à notione uulgi magis remota ſunt, origo nobis, & caput, & ſtabilimentum, eſt ipſa ueritas. Vt ambulare in tenebris ſine lumine, ſic periculoſum, & preceps eſt peragrare, et conficere uitæ uiam ſine ueritate: & mehercule, ſi alterutrũ è mundo tollendũ ſit, multò minore incõmodo diurno ſidere, quàm ueritatis luce careamus. Quis enim falſo bono potiri uoluit aliquando: aut quis unquam extitit, qui duros, et graueis in uita cũ exantlaſſet labores, eo ad extremum præmio contentus eſſe poſſet, quod inanis & falſa utilitas attuliſſet? Quapropter, Phædre, cùm ſapientiæ omne iudicium ad multitudinis opinionẽ cõtuliſti, haccine ſpreuiſti Philoſophiæ uocem, quę ueritatis ſtudium primariũ eſſe omnibus uult: rectasq; etiã opiniones, ſi quæ aliquando abſque certa ueritatis cognitione exiſtunt, cęcis cõparat, caſu rectũ iter inſiſtentibus? an eſt quod

pro/

proferri indignius poſsit, quàm ſapientiam neſcire ſe ipſam, ſed tantummodo quadam opinione de ſe niti? Quis hoc è uulgo infimus homo nõ facit? Ergo ſatis erit nobis, non quidem ſcire beatè uiuere nos, ſed ſolum opinari uiuere nos beatè. Quot multos enimuero hominũ, quotidie iſta opinio decipit? Non eſt hac opiniõe contenta, non in hoc noſtra conquieſcit Philoſophia. Scire nos id ipſum ac noſſe apprimè uult. Itaque tradit uias noſcendi, & intelligendi, neque beatam uitam, niſi ſcienter illa animaduertatur, & agnoſcatur, ullius nobis ad iucunditatẽ animi, eſſe momenti putat: nõ plus quidem, quàm ſtipiti aut arbori, quę ramis pomiſq; inſigniter adornata, ſuam ipſa uiriditatem feracitatemq; non attendat. Quod ſi ueritas quoque definienda eſt, & tanta res tam paucis in conſpectu quaſi ponenda: Dicimus, ueritatem aliam in ipſis rebus ineſſe, aliam autem in nobis. In rebus ueritas eſt, primũ illud ipſum, quod quæq; per

s ſe res

ſe res eſt, quod tantũ habet unaquæque res de natura, quantum habet de ueritate. Deinde, ſi rerum ipſarũ inter ſe conſenſio & concordia, quum reſponſus quidam in his ſit, aptáque compoſitio, ſecunda quodam modo naturæ ueritas eſt, orta illa quidẽ ex ſuperiore illa, & ſimplice: ſed nobis, q ab humilioribus ſcandendo ad alta nos attollimus, anterior et primò obuia. Ad has porrò naturæ percipiendas ueritates, cùm ſe applicat noſtra intellectio, ad easq; ſeſe cõponit, atq; exæquat, tunc naturalis illa ueritas, tanquam in ſpeculo, relucens in anima noſtra, imaginem diuinæ nobilitatis in nobis conſtituit, ſi & noſcamus opera, atque conſilia præpotentis Dei, & quoad homini licitũ eſt, in conſiliis itẽ noſtris illa imitemur. Ac ut præclaro hoc ab auſpicio, & ueritatis tanquam fundamento, proficiſcamur ad reliqua: percipiendum uobis illud eſt, trinas illas in nobis facultates animæ atque partes, ex quibus noſtra omnis natura cõpacta ſit,
non

non poſſe ritè præſtare cōmune om/nibus munus, niſi in ſuo quæq; peculiari munere priuatim prius inſtructa & erudita ſit: quod in illa infima parte ſtatim fit manifeſtum: ea enim ſola à cæteris partibus abiūcta, opus tueri ſuum poteſt: in ſenſibus quidē, quis nō uideat, non poſſe hoc album atrúme, quod ad functiones uitę pertineat, appeti aut uitari: niſi prius atrum cognoſcatur, atque album? Quanquam de cæteris minus negotij fortaſſe ſit, ratio quidem noſtra, quę illud ipſum eſt, quod ſumus nos, domina & rectrix humanæ uitę, per quam habemus atq; obtinemus, nō quod uiuimus duntaxat (id enim potuit uegetabilis pars, quæ infimi generis & muneris eſt, præſtare) neq; uerò etiam illud, quod cum uoluptata & ſuauitate uiuimus. Eſt enim ſenſilis in nobis facultatis in primis hæc oblectatio: Sed quod decorā, & ſplēdidam, & cum dignitate agimus uitam, præcipuum eſt in communitate rationis munus, atque officium.

Hæc igitur inquam ratio, noſſe ipſa prius & apprimè tenere debet, quid pulchrum ſit, quid honeſtum, quid ſplendidum, antequam illud in commercium reliquarum partium deferat. Et deniq; princeps omnis ueritas rerũ illi percipienda eſt, antequã eam exprimat, ac referat in ueritate actionum. Quæ cùm totam ratio uitam hominis contineat, parteſq; illi cæteræ pareant, eamq; conſequãtur: nimirum de ea nobis potiſſimum ſermo habendus eſt, ut uideamus primum, qui rectus illi uſus ſuimet per ſemetipſam & ſeparatim à reliquis ſit, deinde qui in reliquarũ partium comitatu et coniunctione. Quod his duobus ritè expoſitis, cunctam uim Philoſophiæ, ut opinor, explicatam, & perſpicuam habituri ſumus. Eſt igitur rationis, cuius nomẽ à rato deductum eſt, diſcernere ea, quæ rata eſſe debeant: hoc eſt, uera, firma, conſtantia: quam facultatem profecto in his mortalibus et fluxis reperire ipſa nequit. Quocirca ad ea conuertat ſe,

& conferat oportet, quæ ſunt perpetua & immortalia, quod ſi etiam in his, quæ gignuntur paſsim, & interierint, aliqua imago exiſteret perpetuitatis, qualis fortaſſe in ipſis generibus ineſt, quorum uniuerſum ſemper permanet, indiuidua quotidie dilabũtur: in optima tamẽ & cõſtãtiſsima parte naturæ illa quærẽda eſt, ut ubi maximè lucet, ibi potiſsimũ ueritas exquiratur. Eſt enim eiuſdẽ ſciẽtiæ & facultatis, cùm tractare de re, quæcunq; illi res ſubiecta ſit facultati, tum de ea ſumma abſolutiſsimaq; tractare. Quum igitur peculiare officium rationis ſit, indagare ueritatẽ, in diuinis autem & ſempiternis maxime exiſtat ueritas, diuinorum indagatio in primis rationi eſt propoſita. Hic me recens iſta academia non permouet, quæ percipi & compræhendi negat poſſe ueritatem. Neque enim illi ne iſtud quidem ipſum eſſe perceptum poteſt. Non eſt omnino de ſingulis argumentãdi locus. Tantùm contrà dico, ſi ita res ſe habeat,

quemadmodum autumat illa, & perſtrepit, fruſtra & in nobis, & in natura ipſa factam & conſtitutam eſſe rationem. Vt enim ſuprà demonſtrauimus, quod uſum ſui nullum habet, id non modò fruſtra eſt, ſed neque ullo pacto eſſe poteſt omnino. Vt ſi intellectio non ſit, ne ratio quidem exiſtat, cuius officium quum ſit intelligere, ſolum autem quod uerum eſt id intelligatur: adempta ueritate intelligendi, funditus tollitur è natura, & exterminatur ratio, cui concluſioni conſtanti & firmæ, quàm multa incommoda, abſurdáque ſequantur, profecto intelligitis. Sunt alij agreſtiores, negantes utilem homini eſſe diuinorum cognitionem: quos patet nullam utilitatem agnoſcere, præter eam, quæ tactu & corpore percipiatur. At ea maxime bruta, & aſpernabilis præſtantibus animis iudicatur utilitas. Sed ut redeamus, unde digreſsi ſumus. Ratio ſemetipſa uolens uti, & ſeparatim exequi munus ſuum intuendę ueritatis; ſenſuum

ſenſuum quidē adminiculo primum nixa eſt: initium enim illi primū ani maduertendi, deinde pertentandi, ac paulatim altius erigendi ſe, atq; attol lendi à ſenſilibus factum eſt: ex admi ratione enim eorum, quæ in natura ſenſili maximè ſpectabilia ſunt, pri- mùm orta eſſe dicitur Philoſophia: pòſt uero ubi ſatis his inſtructa & ad miniculata ratio eſſe cœpit, cùm ad principes naturæ cauſas, illasq; gene rales notitias, rerumq; rationes inue ſtigandas ſe datura eſſet, ne ſimula- chris ſenſilibus diſtraheretur, quæ uaria & multiformia, ſæpeq; inter ſe repugnantia, mentē cogitationemq; obturbant, neceſſe habuit ſubſidio ſi bi aduocare artes alias quaſdam, tan quam puriores exercitationes ſui- met: quarum uſu tractationeq; aſſue facta, poſſet paulatim extollere ſe, at que eminere, ut Arithmeticam, om- nemq; Mathematicam cognitionē: cuius ea uis eſt, eáque exercitatio, ut mētibus noſtris rerū in corporibus iacentium, atq; inſitarum, naturam,

ſpeciemq́ꝫ proponat, ſine ulla corpo
ris mixtione. In primis autem & ma/
ximè adſciuit Dialecticam, quæ ars
nulli nominatim rei naturæ ue præ
fecta: ipſas tantummodo ratiocinati
ones per ſeſe, & mentis quaſi ex uno
in aliud tranſitiones ac peragratio-
nes, metiri, et perpendere, et æſtima-
re nata eſt: quæ cui uidelicet ratioci/
nationi ratiocinatio conueniat, ap-
táq́ꝫ ſit: quã quæ antecedat, aut conſe
quatur: quid ſit repugnãs in illis, &
ambiguũ: quid diſtinctũ, & illuſtre
quæ ſit plurimũ inter ſe ratiocinatio
num contexio, aut etiam diſparatio:
& quarundam inſociabilitas, aliarũ
ita arctè hærens connexio, ut diuelli
nõ poſsit: his enim ipſa ratio in ſe pri
us examinatis, ac perpẽſis, ubi uires
ſuas domi iam perſpexit, exploratás
que habere cœpit, tum demum ſic e/
gredi in aciem, & ad contemplatio-
nem naturæ tutò auſa eſt accedere.
Ac primo quidem ortu Philoſophię
antiquitus (ſicut monumentis litera
rũ eſt mandatũ) ex rerũ illa cœleſtiũ
aſpectu

aſpectu excitata ad cupiditatem cognoſcendi, cùm Solis & Lunę, errantiúmq; ſyderum, nec non eorũ quæ ſemper cœlo inhærent, motus, formas, pulchritudinéſq; ſpectaſſet, uiciſsitudinéſq; notaſſet anniuerſarias, & cũ admiratione maxima tantarũ deſcriptiones rerũ contemplata eſſet, ex ratis ordinibus eorum, perpetuiſq; curſibus, eadem ſemper interualla lege certa ſeruãtibus, ſuſpicari cœpit, eſſe autorem & principẽ huic mundo quendam, cuius imperio & nutu mouerentur cuncta, et regerentur: Neq; ſola hac ſuſpitione contenta, ad perueſtigandũ ſe dedit, ſi quid poſſet de eo firmi, certique concipere. Amoto igitur oculorũ ſenſuũq; adminiculo, ipſum motum in ſeſe, ipſumque tempus, & quæ horum duorum conſiderationi adiuncta ſunt, infinitatem diuiſionum, æternitatẽ ſeculorum, diuerſitatem naturarum, inquirere eſt conata quumq; uideret nil tam cognatum eſſe cuiq; naturæ, quàm motũ proprium illi et congru

 entem,

entem, quòd in eo primum naturæ rei cuiuſq; oſtenditur: perſpicere cœpit, ex diſsimilitudine naturaliũ motuum, diſsimiles itẽ rerũ naturas indicari: itaq; cœlũ propterea ex alio genere eſſe intellexit: atque iſta inferiora corpora ſunt quatuor, quæ generationi ſuppeditant: quòd illud orbiculari motu deferatur: ipſa hæc recto. Et cùm orbicularis motus perpetuus eſſe poſsit, rectus autẽ nequaquã: deſtincta à terrẽis cœleſtia mortalitate eſſe, & immortalitate intellexit. Porrò autem cùm motus omnis aliquid quærat, quod non habet in ſe: idq; cupiat aſſequi, ex quo omne quicquid moueatur, haud planè perfectum nec cumulatum omni bono eſſe intelligatur: ipſum autorem & principem uniuerſi, unde omnis iſta tantarũ rerum, motuũq; deſcriptio ortũ atq; ordinem ſuũ obtinet, unũ & ſempiternũ, eundẽq; præpotentẽ & prorſus immutabilem neceſſariò eſſe cognouit: Ad quẽ intelligendũ, riteq; compræhendendũ, quãdo qui

dem

dē ſine eo nec ueritatis, nec ordinis, nec cōuenientiæ ullius, ipſiusq́ꝫ deco ri notio ulla firma & ſtabilis haberi poteſt: quū in primis uocet nos, et acuat Philoſophia: utinā eo tā facilè aſpirare poſſent mētes noſtræ quàm nos id auemus, et cū ardore maximo expetimus. Sed ſi minus nominatim et directè, aliqua tn̄ circuitione, et ex emplo, informāda nobis nūc eſt præclara hęc, et admirabilis Dei ſūmi co gnitio: cuius ſimilitudinē in ea re capiemus, quę ſenſibus noſtris una om niū maximè aperta patēsq́ꝫ eſt. Siqui dē hoc Sole, qui fons diurni luminis eſt, nihil nec cogitari poteſt illuſtrius. Quoniā aūt ſicut omnis cognitio mente atq́ꝫ intelligentia nobis eſt cō præhendenda: ſic ſenſuū quendā habemus, qui ſimili ferè modo naturā luminis percipiat: noſcēda huius ipſius ſenſus uis, actioq́ꝫ eſt, ut eā deinceps cū mente & actionibus mentis cōparemus. Nā quū omniū ſenſuum facultas, ad ea q̄ cuiq́ꝫ ſenſui ſubiecta ſunt, percipienda, nata ſit in ſenſibus

reliquis ſatis eſt adeſſe ſubiectã rem ut ſentiatur: in oculo & uiſione non eſt ſatis: tertiam enim quandam naturam adeſſe oportet, et eam quidem multo præſtantiorem, ſplendoris, luminisq; uidelicet, quæ ad hanc rem eã ipſam facta, creataq; eſt, ut uiſioni ipſa ſit adiumento: tantò fabricator ille cunctorum ſenſuum Deus, uim uidendi cæteris pretioſiorem finxit: iugauit enim facultatem & uidentis rei & uiſæ, ut ad uidendi actum ueniri poſſet ſplẽdidiſsimo naturæ genere: niſi fortè uile & abiectum eſt in natura quod nominamus lumẽ. Atqui huius tam ampli, tamq; pręclari muneris, quod lucere eſt: itẽq; eius, quod effluit, manatq; ex iſto, quod eſt cernere, atq; cerni, unum in cœlo dominũ autoremq; agnoſcimus, per quem optimè iſta, perfectiſſimeq; fiunt: quẽ nuncupamus Solem: nempe quia ſolus cœlum atq; terras lumine ſuo compleat: reliquaq; ab eodem aſtra mutuentur lucẽ eam, quã poſsident: porrò oculus ad Solẽ, tanquã

ad ſuum bonũ natura eſt conuerſus: non quòd oculus quidem nec quòd ipſa uiſio efficiantur Sol: ſed quia ſenſus hic unus maximè eſt ſolaris, uisq; ea omnis, quæ ad uidendũ ſit, ex hoc ſidere tota hauriatur, et perfluat, uſq; eò quidẽ, ut et quòd intuemur Solẽ eũ ipſum, & quòd præterea reliqua cernere omnia poſſumus, totum ab illo cœleſti lumine teneamus. Hunc igitur ipſum Solem, diuinæ illi eſſentiæ & unitati, quæ cunctorum ſumma, & princeps cauſa eſt, fonsq; bonorum omniũ, & uerũ ipſa ſolumq; ſuapte ui bonum, imagine quadam comparamus, ſimilemq; oſtẽdimus: ut eodem modo illa in intelligibili loco; Sic enim cõuertimus, quod Græci νοητὸν. Et ſanè neceſſe eſt, fidentius uti uerbis in ſummis rebus explicandis, & declarandis: quod etiam modo factũ à nobis eſt, cùm eſſentiæ nomẽ, Græco nomini, quod οὐσία eſt, Latinum reddidimus: faciemúsq; in eo quoque, ſi neceſſe fuerit, ut uerbum infinitum, ſine perſona & tempore,

nominis

nominis loco ponamus: quod cùm Græcis ipſis perquàm uſitatũ ſit, uidetur quoq; nobis interdũ eſſe concedendũ. Sed ut dicere cœperamus, ita illa alta & longè eminens rerum omniũ ratio intelligibili in loco, ad mentẽ habet ſe, & ad ea, quæ mente percipiũtur, quemadmodũ in hoc uiſibili ſol ſeſe habet ad oculum, & ad ea quæ oculis comprænenduntur: oculi enim ſi ad eas intuẽdas res conuerſi ſint, quarum colores non diurnũ ſidus, ſed nocturnæ luces offundant, hebeſcunt quodammodo, & retunduntur: ſimilesq; fiunt cæcutientium, & hallucinantium oculis, ea re quidem, quòd pura ipſi uiſione minimè tunc fruuntur: Si uerò cò ſemoueant & intendant, quà ſol illuſtrat: tum & clarè, liquidoq; cernunt, & eadẽ quoq; claritas in eis ipſis ineſt. Igitur in anima eadem proportione eſt noſcenda ratio, atq; attendenda: Dum enim anima ad id percipiendũ intendit ſe & adnititur, in quo ueritas & ipſum eſſe è regione refulget:

quod

quod eſt, ut lux à Sole, ſic iſtud ex Deo intelligibile quaſi lumen: intelligit id planè atq; noſcit, mentemq; ſibi ipſa habere in ſe et poſsidere tum uidetur. Cùm uerò eò ſe conuertit, ubi tenebræ admixtæ ſũt: in id quod generatur ſcilicet, et quod corrumpitur, quòdq; ſimulatis & fictis obtunditur imaginibus: tunc hallucinatur nimirũ, & quaſi ſomniat: uarijsq; ultro ac citro iactata opinionibus, mẽtis ſibi ipſa, ac intelligentiæ uidetur inops. Hoc igitur ſummè præcellẽs ac diuinum, quod & rebus cognitis præbet ueritatẽ, & cognoſcentibus uim cognoſcẽdi: caput ipſum naturę totius, & abſolutiſsimã ſpeciem omnis boni, in Sole nobis ſimilitudine propinqua, repræſentari cernimus: quod idẽ omnis ſcientiæ & ueritatis eſt cauſa: ueritatis, inq;, in rebus quidẽ factis, quatenus illas ut ſint facit: noſtra autẽ in anima, quatenus eam lumine illo intelligibili, & ex ſeſe, & ex rerum eſſentijs ab eodem ipſo manãtibus, informat, atq; illuſtrat: qua

quidem

quidem ex ueritate generatur ſcien-
tia, quæ eſt rerum eodem modo ſem-
per ſe habentiũ firma mentis intelli-
gentiæq́ comprehenſio. Sed ut in na
tura uiſili, oculum & lucem, ſolares
quidem uirtutes, & facultates conue
nit appellare: Solem autem nequaq́,
quod Sol utriſq́ his multo præſtan-
tius quiddam, atq́ eminẽtius in ſeſe
habeat: ſic in intelligibili genere, ſci-
entiam & ueritatẽ, res nimirum bo-
nas atque diuinas, nõ tamen Deum
ipſum atq́ illud ſupremum bonũ exi
ſtimare debemus: quippe quod ad-
mirabili quodã interuallo uirtutis,
amplitudinis, poteſtatis, his omni-
bus antecellat: magnificẽtiusq́ mul-
tò ſit, quàm ut ueritatis, & ſcientiæ
finibus poſſit includi. Atque ut per-
gamus etiam ad ulteriora, in eadem
tamen ſimilitudine inſiſtentes, Sicut
Sol ijs, quæ cernuntur, nõ ſolũ facul
tatẽ hanc præbet, ut quæãt cerni, ſed
generationẽ etiam, & accrementum
ſuppeditat, & educationẽ: quod ho-
rum omniũ genitis rebus atq́ alitis,
Sol

Sol cauſa eſt, neq; ipſe tamen uſpiam eſt generatio: ſic his quæ cognoſcuntur & intelliguntur, nõ hoc tantum ab ſummo adeſt naturæ bono, ut intelligantur, ſed ut ſint ea etiã, atq; exiſtant, & ut ſuã quodque illorũ obtineat eſſentiã. Sed ut aliquando abeamus à ſimilitudinis comparatione, quam preſertim uel leuiter indicaſſe affatim uobis ſit, dico hoc munus eſſe menti noſtræ peculiari ipſius officio attributum, ut in intelligibili percipiendo genere, & inquiſitione ueritatis ſe exerceat: quã ſi in æternis, & ſibi ſemper conſtantibus non perſpexerit, neq; in illis ueritati familiarem ſe effecerit: næ illa in his uariantibus ſemper & diffluentibus, nunquamq; in eodẽ permanentibus ſtatu, fruſtra uenari illam, & indagare conabitur: infirmisq; ſemper nutabit aſſenſionibus, & ambiguis opinionibus diſtrahetur: uiam uitæ certè nullam unquã inibit, qua æquo animo uſque ad extremũ patiatur ſe deduci: ſed reuocabit crebrò ſe, & retexet,

xet, ſæpeq́ in pœnitẽtias graueis, & mœrores, tanquã in ſcopulos ſaxaq́ delata, faciet ueterũ ſuorum conſilio rũ naufragiũ. Quod in illis magnis & præpotentibus uiris, q in hac urbe & Rep. quondã, alijsq́ item in ciuitatibus ac populis, authoritate & gloria rerũ geſtarũ florere uiſi ſunt, fermè omnibus cõtigit. Sed ut ſint, q hãc præcipuæ ſummæq́ ueritatis abſolutã notionẽ ad cõmunem hãc peragendã uitam haud ita multum eſſe neceſſariã putent, in quo etſi imprudentia labuntur, habent tamen paratam ex hominum quotidianis moribus & ſtudijs erroris ſui defenſionẽ. Nos qui uerã hominis præſtantiam ac dignitatem è Philoſophia quærimus, ſummũq́ ex ea bonũ nitimur conſequi, ſi rerum altiſsimarũ cognitione nos eſſe inſtructos uolumus, nũ ſumus propterea iure reprehendendi? Atqui dicimus plane, ſine ijs, ordinẽ rectè uiuẽdi teneri nullo modo poſſe: niſi enim prius ratio ipſa explicuerit ſemet, totamq́ perſpexerit,

&

& domeſtica ſui primũ, æternæq́ ſecum ueritatis ſciẽtia erudita, tum demum acceſſerit ad conſiderandũ hęc humana, eaq́ tractandũ ac dirigendum, ars bene uiuendi perpetuo conſtare nulla poterit. Sed cùm rerũ earum, quæ in mundo & natura ſunt, cauſarúmq́ quibus illæ effectæ in lucẽ prodierũt indagationẽ omniũ, & curã cognoſcendi Philoſophia profiteatur, ſingularũ eſt explicatio in ſuis libris atq; locis, cùm ab autoribus cęteris, tũ uerò in primis ab Ariſtotele petẽda, nõ ẽm nobis propoſitũ eſt in pręſentia ſingulas res perſequi. Illud propoſitũ, ut quoniã ratio noſtra nõ ad intelligendũ ſolùm, quod ipſa per ſe & ſeorſum facit, uerũ etiã ad agendum atq; imperandũ, quod eſt illi in cõmunitate cũ cæteris partiũ officiũ genita factáq; eſt: iſtud ipſum, in principe & moderatore omnium rerum Deo, conſyderet prius, & intueatur, quod regere eſt & imperare: ut illius deinde exemplo, & imitatione erudita, diuinã quandam illinc magnificentiam,

centiam, & adminiſtrandis rebus fa-
cilitatem, ad hæc humana & inferio-
ra transferat: quod eſt totũ illarum
actionũ, quæ poſitę in concilijs ſunt,
non in operibus manu factis: quarũ
quidem actionum ſplendor omnis,
et pulchritudo hęret in ipſo homine,
penitusq́ inſita eſt. Etſi enim cœlum
hoc, totusq́ iſte mundi ornatus, pul-
chritudine et decore præclariſsimus
ſit, diuiniq́ ordinis conuenientiam
& uenuſtatẽ, cum admirabilitate ma
xima, mortalibus oculis oſtendat: ut
quod undique effulgeat pulcherri-
morum luminum diſtinctione & co
pia, curſibusque propè immenſis, &
non enarrabilibus torqueatur, uſq́
eò quidem, ut ſatiari mẽtes humanæ
non queant ſpectando illud, atq́ mi-
rando: tamen pulchriora multò ſunt
& magnificentiora Dei conſilia, qui
bus editum id in natura, & eiuſmodi
factum eſt. Videndum eſt igitur hoc
conſiliũ, & tantæ gubernationis ra-
tio eſt noſcenda, quò nos, qui partici
pes eſſe diuinitatis cupimus, ad ra-
tionem

tionem eandem deinde, ſimileq́ꝫ conſilium, noſtra & cogitata & acta accommodemus. Nec uerò dubiū eſſe poteſt, quin decor, & dignitas, & pulchritudo, in ſummo Deo, omnibus rebus ortū cauſamq́ꝫ præbuerit. Eſt enim pulchritudinis, maximè conciliare amorem, appetitumq́ꝫ gignere congrediendi, & potiundi: quo quidē appetitu ex illa dei ſpecie honeſtiſſima in natura excitato, cunctus iſte mundi, & corporū omnium apparatus, ad conquirendū deum, ut ſuum bonum, ſe erexit. Pulchrū porrò eſt, quod in ſemetipſo decens eſt, & commodū, atq́ꝫ utile cæteris. De illa pulchritudine nunc loquor, quæ mente intelligentiaq́ꝫ comprehenditur, cuius umbram quandam fert, hæc quæ in corporibus deſcripta eſt pulchritudo, tantam ipſa quoque uim poſſidens, ut non abſurdè de illo rege uideatur dictum, ſpeciem primùm dignā eſſe imperio. Sed ut ad pulchrū princeps, illud quod eſt rationis, & intelligentiæ, redeamus. Nemo unq́ꝫ

ueriorem, digniorem, appoſitiorem pulchri ac decori ſpeciem ratione ue expreſſarit, quàm hanc, quæ ſit in eo, quod eſt prodeſſe cæteris, ſibi ſufficere, & conueniens eſſe, quod utrunque in pulchro ineſſe eſt neceſſariũ. Nã ut in corporũ formis uidemus, quarum omne oculorum eſt iudicium, ſi qua pars corporis à cæteris partibus ſui dimenſus, portione diſcrepet: nõ uerè illum, in quo inſit uitiũ hoc, formoſum poſſe appellari; propterea quòd ſpecies in eo à conuenientia diſceſſit, egétque alio quopiam, ut expleatur & perficiatur: iccirco & amabile minus eſt, & minus appetitur, quòd neque delectare admodum poteſt propter incongruentiam, neque adiuuare propter egeſtatẽ: eget enim et ipſum aliunde adiumento: ſic illud ſimplex, & menti propoſitum pulchrũ, quod omnes congruentias honeſtatesque in ſe continet, nulla ipſum parte ſui imminutum, nec indigens, cõtraque omni bono ac decore cumulatũ, atque completũ, cõcurſus omniũ

rerum

rerum excitat ad obſequendum, & obediendum ſibi, ut quælibet res ad nutum præſtò ſit cupiatq; illi nauare operam ſuam: quippe quæ experiatur & ſentiat pro eo, quantum illi ſe dediderit, & ad accipienda illius imperia ſe ſubiecerit, tantùm ſe & iucundidatis, & commodi ad ſuam explendam naturam eſſe reportaturã. Hac igitur imperium ratione Deus, & hac facilitate regit uniuerſa ac permouet, quod ſemper agit id, quod ſe ipſum primùm deceat: deinde ſit utilis cæteris: & cum alijs bonum utilitatis impartiuerit, ipſe ſuũ retinet, quod eſt decori, dignitatis, amplitudinis bonum. Quò etiam fit, ut in effectionibus naturæ & operibus, nulla uerior ratio, neque conſtantior reddi poſſit, quã ob rem quicque ſic effecerit Deus, quàm hæc quod ita eũ facere decuit, & quia rei effectæ illud fuit optimus ut & à dignitate illius q agit, et ex eius, quod agit, emolumẽti ac cõmodo, ualida in primis fortisq; ſit argumentis cõcluſio. In q̃

tamē ipſo ubique & præcipuè, decõ rũm illud elucet, quod præclarũ in ſe atque munificum, duplicíq; hac de cauſa amabile cæteris, facit, ut facilè imperium ſit in uolentibus, nullóq; niſu conatúue laborioſo, omnis rerũ molitio gubernatióque tranſigatur. Et hactenus quidē Philoſophia hominis rationem in ſuo & proprio munere continet, ut in ſpeculandis naturę operibus illam exerceat, eáq; eã edoceat, in quibus origo eſt, & ſedes, & domicilium ueritatis. Quæ quatenus in ſummis & ſempiterna immutabilitate cõſtantibus uerſatur rebus, iure ac merito dicta eſt ſapientia: fõtes enim in illis ſunt et ſcientiæ omnis, et prudãtię. Qua uerò ad mutantia genitabiliáq; confertur, ſcientia naturalis, eadem Græcè Phyſice eſt appellata. Moralis autem, quum humanis dirigendis actionibus adhibetur. Qua trimembri diuiſione in Philoſophia expoſita atq; monſtrata, præclarè illa definitur rerum eſſe ſcientia, & diuinarum ſimul, & humanarum.

manarum.

manarum. Nunc quando iam ſatis, quod ad præſentem quidã noſtram diſputationem pertinet (nam ad rem ipſam & pleniorémq; doctrinam nõ ſatis) de officio ſeorſum & per ſe humanæ mentis eſt dictũ: quod in prioribus duabus illis Philoſophiæ partibus, ſapientia uidelicet, et naturali ſcientia, poſitum eſt: Reſtat communis totius hominis, non iam partis in eo ſeparatim alicuius actio, atque exercitatio, moralis ſcientiæ propria: ad quam eum nunc Philoſophia deductura eſt; rectumq; ſuimet in ea uſũ, ita illum edoctura, ut nulla neque uirtutis, neque officij pars, quæ ad beatam conſequendam uitam pertineat, in hoc quoque genere prorſus relinquatur. Etenim ab illis altiſſimæ ueritatis conſilijs, & rerum æternarum ſpeculãdis rationibus, in quibus tanquam cognata illarũ, atque eiuſdem cũ illis nobilitatis conſors, ſemetipſam mens præcipuè agnoſcebat: fruebatúrque tum uero, & ſuæ naturæ munere, & ſapientiæ nomi-

ne: deflexa ad animaduertendum conditionem neceſſitatis ſuæ, quòd quum alienis & longè diſſimilibus ſibi generibus conflata, per multa obire ſimul cum ijs, atque unà agere cogeretur: primò quidem aſpectu uehementer perturbata eſt: aſſueta enim tranquillitati, & ordini rerum ſibi conſtantium, & nuſquam ab eo, quod idem eſt, digredientium: ut uidit motus ſotiarum partium incertos, & uarios, nullum neq; modum, neq; ordinem ſuápte ſponte retinere, eosq; cùm importunos ſibi, ac ſæpenumero moleſtus, tum inter ſe ipſos quoq; rixari diſſentientes: defleuit quidem illa primò conditionem ſtatus ſui; quód à beata illa cura fruendæ, & contemplandæ ueritatis direpta, in turbã ſeſe et in factionem impediuiſſet: ueruntamen celeriter ad officiũ conuerſa, cùm intueretur con ſilium & uoluntatẽ ſummi Dei, non ſolùm æquo, ſed alacri etiã animo ad obediendũ illi ſe dedit. Quid enim faceret ſecus, in illa ſerie rerum, ex qui
bus

bus nexus eſt mũdus, exercitata atq; alita? quarũ admirabilis, continensq; cõplexus, paratus ubiq; ad obediendũ Deo, apprimè eã inſtruere potuerat, ſuũ cuiq; rei bonũ, in ordine et obedi͠etia huiuſmodi, maximè quærendũ eſſe. Igitur in hanc deliberationẽ ſe cõtulit, ut quos diuina ſors ſibi dediſſet comites, cũ eis ſtatueret pacatè & concorditer uiuere. Atq;, ut in re perdifficili & ardua, ad Philoſophię, quo ſolebat, confugiens opẽ admonita ab ea ipſa eſt, ut agitatioris et incertioris agẽdæ uitę diſciplinã, ab eis rebus acciperet, quas ſtabiles & certas in natura cognouiſſet: regẽdiq; et imperandi ordinẽ totum atq; exemplũ, illinc huc trãsferret. Quod quidẽ ſic agere conſtituit: primúmq; illud animaduertere cœpit, expreſſam eſſe in ſeſe, & in corpore eo, quod ipſa rectura eſſet, imaginẽ quandã tum prępotentis Dei, tum eius mundani operis, quod creatum factumq; à Deo, eiuſdẽ etiã imperio et numine regeretur: ut quẽadmodũ Deus in ſummo

omnium conſiſtens, rebus incitatis et mobilibus imperat, immotus ipſe, & ſemper permanens in eodem, globiſq; corporum cœleſtiũ alias prępo nit mentes, quæ in eum ipſum intuentes, ac nuſquam ab eius lege & ordine deflectentes, moueant citeriora corpora: ipſas uerò uarias & multiplices elementorũ concurſiones, conflictus, illiſiones, quoniã minutatim ſub ordinem certũ redigere non licebat, illa uniuerſa lege coërcuit, qua paribus omnia liberata ponderibus, & uim inter ſe æquã obtinentia, finibus ſe ſuis ſingula continent: neq; aliud alij ſupergredi, aut uiribus et potentia pręponderare eſt licitum. Sic mẽs ipſa tanquã alter in corpore humano Deus, ſtabili ueritate ſemper nitẽs, reliquas animæ partes mouendo corpori appoſitas, ſuapte ſpõte ordinis finiũq; expertes, ad intuẽdum eum ordinem, quem uera in ſeſe deſcripſiſſet ratio, reuocaret: formámq; illis decori pulchriq; offerret: qua ſpecie diuina illectæ illæ ad amorẽ, ſtudióq;

dióq; accenſæ eiuſdem imitandę pulchritudinis, & participādę, cùm ſuū etiam præſertim in eo commodū ſentirent, atq; experirētur, facilè rationi imperium, & nulla impeditum controuerſia, relinquerēt. Itaq; mens ſtipata egregio comitatu illarū cognitionū quas in contemplandis rebus æternis antea percepiſſet, ſapientiam primùm deuocauit de cœlo, eamq; nonnihil hæc quoq; inferiora ut animaduerteret, compulit, uocauitq; eo nomine prudentiā: quòd hoc uerbū à peruidendo ductū, uoce ipſa indicat, in res obſcuras & ſuapte natura perſpicuæ lucis expertes, aciem eſſe ingenij, & mentis intendendam. Porrò autem ſapientia in eo aliquandiu commorata, ut cupiditatum, & affectionum, omniúmq; earum appetitionum, quæ multiplices, ac uarię in animis noſtris concurſant, cauſas, fineis, naturamq; cognoſceret, cùm uideret eas temeritate quadam præcipites, ſubitasq; ferri, & ad ea expetenda, aut refugienda, quę per ſenſus interpretes

terpretes, lætabilia formidoloſaùe oblata eſſent, ſine modo diſcurrere: intellexit harum rerum cauſam eſſe comitatũ illum, quo ſentiens anima, cum uegetãte coniungitur: quòd ex huiuſmodi coniũctione plus illi parti abiectæ & ignobili, ab alijs ſæpe partibus tribuatur, quàm ſit æquũ. Itaq; prudentiam, quam ab ſe inſtructã conſilijs, & rationibus ad res gerendas iam adhibebat, rectionemq; illi rerum humanarum in diuinis ipſa reſiſtens, per manum quaſi tradebat: admonuit, ut notaret, animũq; aduerteret, primam directionem humanæ uitæ, & fundamentũ uniuerſæ ſalutis, potiſsimũ in eo conſiſtere, ſi ſingulæ in homine animæ partes, ſuum unaquæq; & penſum, & precium obtineret: neque alteri altera de eius quicquam iure, honoreúe decerpet, hoc enim uno modo demonſtrauit, concordiam & pacem in animis conſtitui, uiámq; ad beatam uitam poſſe inueniri: ſi, quæ regendis, & in unitate continẽdis ciuitatibus,

in

in primis neceſſaria eſt, prima in ipſo homine iuſtitia extitiſſet: qđ ea uirtus uirtutum eſt ſedes, & fundamentum reliquarũ: per quam quiſq; ſuarum rerum diligens curator, atq; cuſtos, aliena minimè appetit: neq; munus interrũpit alieni officij: quod ubi fit, ibi cũ lætitia, & cũ tranquillitate maxima uita degitur. Hoc igitur primum ſuſcipiens prudẽtia, idq; exprimere ac proferre in agẽdis rebus ſtudens, penſitatis cunctarũ in homine partiũ cõditionibus et meritis, ſtatuit parti illi uitali & infimæ tantũ eſſe tribuendum, quantũ ad uitam, & ad incolumitatẽ ſat eſſet: cumq; ea pars conſilio omni orba, legẽ, lumenq; rationis nõ modo nullũ habeat ipſa in ſeſe, ſed ne aliunde quidem poſsit accipere: quo etiã nomine contemptiſſima eſt partium reliquarũ, & obſcuriſsima: quandoquidem, quod nec ſua, nec aliena ſplendeat ratione, ordinis & elegantiæ totum eſt expers: tamẽ quia neceſſaria ad conſiſtendũ eſt, ſtabilitatẽmque, & ueluti ſolum reliquis

reliquis

reliquis partibus animæ præbet, nõ mediocri ſtudio à nobis conſeruãda eſt: ut illo tanquam firmamento innixi, ad potiora obeunda uitę officia nos attollamus. Quam ob rem primũ illi tempus, & prima curatio ſuppeditandis uitæ neceſſitatibus attribuitur. Quo nomine ea etiam fit alicuius honoris particeps: ut ſi nobilitate cæterarũ poſtrema eſt, anterior ſit tẽpore: uſque eò mirabilis ille prudentiæ contextus, in temperando, ac conſtituendo concordi homine, omnia inter ſe uinculis amabilibus illigat atq; cõſtringit. Sentientem uerò animam, quæ non omnis penitus neceſſitate deuincta ẽ, ſed habet aliquid in ſe liberale & ſplendidum: nam & uoluptatibus fruitur purioribus, & intelligibilem pulchritudinem illã, in aſpectabiles oculis ſpecies, & ſenſilia ſimulachra quodammodo tranſfert: eadem mens à prudentia inſtructa, ut ſociã, æqualemq; complexa, eius rationis quam ipſa in ſe inſitam, atque innatam continet, & ueritatis

eius, quæ ex intelligentia rerum ſemper in eodem manentiũ, illi percepta eſt, participẽ facere conatur. Qua ex cõmunione mentis atq; ſenſus, ritè et ordine per prudentiã facta, dignitatis ſpecies illa, quæ una omniũ rerũ humanarum pulcherrimũ eſt oculis prę clariſsimumq; ſpectaculũ, in uita & moribus & actionibus hominum exprimitur. Vt enim alio loco me recordor dixiſſe, in copulatu & cõpoſitione rerum plurium, conſenſus ille, atq; ordo, & æquabilis omniũ inter ſe conuenientia, intelligentiæ atque menti ueritas eſt: oculis & ſenſibus pulchritudo ac dignitas, ut dignitatem definire ſi uelimus, rectè ſic dicamus, translatam illam ad ſenſum & ad oculos, eſſe ueritatem: quæ dignitas aſpectibus ſubiecta, quum tantos amores ſui in omni hominum genere concitet, cunctũmq; orbem propè terrarum irrequietum & ſollicitum ſemper habeat: intra eos fineis eſt ingenijs liberalibus permittẽda, ut neunq; prodat, neq; deſerat ueritatem:

u hoc

hoc eſt concentum & concordiã animæ partiũ ne diuellat, in quo & ambitioni et populari glorię, & huic imperandi cupiditati, qua homines proiectè nimirum, et præter modum efferuntur, poſita lex erit. Vult igitur mens, partẽ hãc ſenſilem ita ſuis frui uoluptatibus, ut aliena cõmoda non præterrumpat: & neq; illud inferius animæ genus, ſuis defraudet utilitatibus, neque rurſus menti ac rationi ad conſtantiã, & ueritatem omnia reuocãti intempeſtiuis ſuis interpellationibus officiat; eademq; ratio, quæ totius hominis rectrix eſt, quum ad ſua munera fungenda ipſa ſe confert, habet tamẽ ſemper alieni quoq; temporis, & opportunitatis rationẽ: ut, ubi ſocijs, & cognatis partibus optimè proſpexerit, tum libera & uacua, diuinis illis iucunditatibus ſeſe impleat: ita æquatis omnium officijs, perpenſiſque muneribus, quum unicuique datur parti quod eſt illi conſentaneũ, neque alia de alia pars parte quicq; detrahit; regnátq;, quod ad

regnandum

regnandum natum eſt: paret, quod ad parendum: tum iuſtitia primum in interiore homine per prudẽtiam exiſtit. Deinde ex iuſtitia oritur temperantia, ordo quidam uitæ, & ornatus, ac moderatio appetitionum omnium, nõ uoluptatũ illa penitus contemptrix, ſed ingenuis ex eo genere, & liberalibus uoluptatibus modeſtè dedita. Quarta uerò & difficillima omniũ uirtus, quæ eſt fortitudo, oritur quidem illa ex ſuperioribus, ſed non tam optabilis ea uiro forti eſt, quàm interdum neceſſaria: non enim labores, ærumnæ, pericula, mortes, ipſa per ſe appetuntur: neq; libẽs quiſpiã uitam & ſalutem proijcit, ſed ubi in diſcrimen uenitur, ut aut iſta ſuſcipienda ſint, aut honeſtas amittenda, ſine cunctatione ulla uir magnus atq; præſtans, honeſtatem ſibi mauult, quàm uitam retinere. Quod contingere nequit, niſi in animis, ita & uirtute, & diſciplina conſtitutis, ut in illis maxima ſit autoritas ratiõis, quę quũ pręſcripſerit aliquid, quod rectũ eſſe, ac

decere decreuerit, iuſſeritq́; id agi, reliquæ ad obtemperandũ partes præſto ſint, imperiumq́; rationis nauiter exequantur. Verùm quum uirtutes omnes reliquæ, tum in primis hæc, de qua loquimur fortitudo, maximè alitur & corroboratur rerũ æternarum ſcientia & cognitiõe. Nam, nec qui infinitatẽ tẽporis mente comprehenderit, is ob cupiditatẽ uitæ paulu lum propagandę, aliquid indignum forti uiro admittet, nec qui immenſitatem mundi, orarum, regionumq́; fuerit animo peruagatus, regnũ ullũ tãti æſtimabit, ut eius aſſequẽdi cauſa, iuſiurandũ uiolare arbitretur eſſe fas: denique pulchri ac decori illa cognitio, cui firmè & probè fuerit mente cõcepta, hic cœleſtibus opibus ſcientiæ & ueritatis locuples factus, atque (ut heros noſter Plato inquit) natiuũ in anima aurũ poſsidẽs, nunquam profecto pecuniæ gratia ſordidum quicq́;, & illiberale efficiet. Ex quo intelligi poteſt, uirtutũ omniũ ſemina, quæ à natura in animis no-
ſtris

ſtris ſataſunt, ex una ritè ali, excoliq́ꝫ Philoſophia, neq; ſine ea unq́ꝫ ad bonam frugẽ poſſe adoleſcere, cùm qui naturalibus uirtutibus tantũmodo, aut etiã more opinioneq́ꝫ cõparatis, nixi ſunt: hi, ut unã in partem aliquã pręclarè ſe dederint, in alia tamẽ parte nõ mediocriter ſunt prolapſi. Plena exemplorum eſt hiſtoria: ſed mihi properandũ neceſſariò eſt, inclinat enim iam ad ueſperum dies. Talis ergo iſte uir, quem Philoſophia inſtituerit, recteq́ꝫ eum ſemetipſo edocuerit uti, conſtitutis per prudentiã partium ſingularum terminis, ut aliam alia pars non ſupergradiatur, nec opprimat, regnum ciuile & patriũ obtinente intus ratione: placatus ſibi ipſe atq; concors, tranquillã & felicem deget uitam, diuinámq; illam regendi artem adhibebit, quæ quidem omnium eſt potentiſsima et maxima, ut quod in eo præſtat, eminétq;, mẽs & ratio uidelicet, ſuũ decorum ipſa in rebus om̃ibus agendis, pręcipuè atq; ſemper, alienũ aũt procuret bonum.

Quo uno modo potiſsimum, & infe-riores partes ſua ſorte cõtentæ, tran-quillè ſe habebunt: & propter decori illius in principe parte pulchritudi-nem, amore ſummo & ſtudio ad pa-rendum adducẽtur. Verùm ita inſti-tutus hic quidem homo eſt, ut ſecum ſolus ipſe poſſit, aut cum familia ſua cõmodiſsimè uiuere: qui iam in pu-blicum producendus eſt, & in com-munes conſuetudines deducendus: non commentatus antea in tenebris, ut modò Phædrus dicebat, ſed in lu-mine illo cœleſtium ueritatum, et ad exemplar illarũ conformatione ſui-met exercitatus, atque prudens: Qui cùm dictante ratione, & gubernatio-ne illa ſummi rectoris Dei ſic mon-ſtrante, intellexerit, non ſe ſibi ſoli na-tum eſſe, ſed & patriæ præterea, et ci-uibus ſuis, partémque ſui non minimã cognato quoque, ciuili generi et eſſe de-bitam: cúmque ſe ipſe ſociabile in pri-mis eſſe animal attenderit, uirtutẽ ui-deritque eam, quæ maximè naturã ho-minis contineat, ſine exercitatione,
atque

atq; opere imperfectã exiſtere: neq; efficere poſſe beatã uitã, ſi nõ promatur ad res gerendas, & adhibeatur: quod iã & homines, quibus cum ucrſetur, & inſtrumenta ad agendũ, quibus utatur, requirit ac poſtulat: in quo nõnulla pars nimirũ attribuẽda eſt Fortunę. Cùm, inquã, iſta omnia noſter Philoſophus cognouerit, ſine tergiuerſatione ulla ad obtemperandũ rationi ſeſe dedet: prudenterq;, et accuratè omnia circunſpiciens ubiq; præeuente eius cõſilijs Philoſophia, inſtrumentũ primariũ cõuiuendi & communicandi, quo prima interni hominis effigies oculis ſpectantium obijcitur, atq; proponitur, formabit aptè & compoſite orationem: eámq; tanquã alterã perſonam perinde excolet, ut ſi totũ ſeſe in illa ſit expreſſurus. Curabit igitur ut cõmodè, ut diſtinctè, ut ꝓpriè poſsit loq, uerbiſq; utetur lectis, ex cõmuni quidẽ ſũptis loquẽdi uſu: ſed tñ uididis magis, quàm ſonãtibus: copiã aũt orationis hactẽus adhibebit, ut aptè, & rotũde

 ſenſa

ſenſa animi ſui, cũ ſignificatione mediocri interiorum motuũ, explicet atq; exponat: nam oratorios quidem illos animorum impetus, forenſibus cauſarum patronis derelinquet: ipſe uero ſedate, & grauiter, leni geſtu atque uultu, omnia perſequetur: Atq; ab hoc aditu talis & animi, et in agẽdo prudentiæ atq; uirtutis, ad conuictus hominum, ad commertia, ad cõſuetudines intromiſſus: quum quacunq; ſe intulerit, quicquidq; geſſerit, illud in ſemetipſo exemplũ ſummi & præpotentis Dei ſecum deferat, ut cuſtodiat ſemper decorum ſuum, & alienum procuret bonũ: quæro à uobis, & abs te in primis, Phædre, num huiuſmodi cùm ſit, uideatur cœtibus hominũ regendis, & gerẽdæ. Reip. autor fore idoneus: cùm præſertim ipſe quidem optimè ſe rexerit, per Philoſophiam autẽ inſpexerit, quod in unoquoq; hominum diuerſis ex naturis & partibus conflatum eſt, idem notari in ciuitate & diſtingui poſſe. Quã igit̃ uim prudẽtiæ

tiæ edoctus à Philoſophia & in illis altiſsimis cauſis eruditus, in ſemeipſo prius exercuerit, eandē tranferet ad hominū, urbiūq; rectionē, ac plebē quidē infimā, quæ maximè neceſſarias in ciuitate obit partes, ut uerſetur in agris colēdis, oneribus uehendis, materia cædūda, opere faciundo infimæ illi in homine parti genitabilíq; collatā, paſtu contentā, & coniugio, procreationéq; liberorum: curabit, ut ſit ſuis opportunitatib. inſtructa, omnémq; ab illa iniuriā remouebit, diligentia adhibita, ut ne illa unquā opere tñ uacet, ſed tēpeſtiuis aliquibus ſemper laboribus diſtringatur; Eadēq; ratione, ſi quid illi fortè exuberare ſēſerit, et ſuperfluere, relicto ſemp quod ſatis ſit, reliquū in publicas utilitates cōuertet, neq; ſecius tñ urgēte aliqua calamitate, eidē egēti atq; oppreſſæ, de publico opitulabitur. Genus autē alterū ordinis medij, quod ſenſili in nobis animæ comparatū eſt, ut magis honoratū quàm primum, liberalis quidē habebit, &

cultius: particepsq́ conſiliorũ ac dignitatis,quoad licebit efficiet. Sed tamen quoniã ſenſilibus id oblectationibus maximè ẽ addictũ, inter quas dominantur hæ,quę oculorum ſunt in externas illud & peregrinas mittet regiones: quò uarias in illis ſpecies rerũ intuendo, mercesq́ coëmendo,patriã, urbemq́ ſuã, rerũ ſpectabiliũ,& earundẽ utiliũ,commoditatibus refarciat,luxuria tamẽ ſemper, præcipueq́ amputata: ne fortè ſublatũ ſtudijs inanibus inſolẽsq́ effectũ, dum ſuis finibus egredi,et in alienos cõatur inuadere, ueriores impediat utilitates conſenſionis publicæ. Nobilitatem uerò, hoc eſt, ipſos optimates,qui nõ tam ex fortuna ſint aut genere,quàm ex uirtute pendẽdi,mentis in homine & rationis inſtar, uniuerſæ ciuitati præficiet:quorũ erit cura ratio,prouidere ac pręcipere, ut omnia gerant in Rep. rectè atq́ ordine: partesq́ in ſocietate & cõcordia teneantur,nihilq́ cuiq́ deſit,quod neceſſaſrium ſit ac legitimũ: quos ubi ua-

care

çare ipſos operibus publicis contigerit, tum eos maius illud in ſe bonum atque præſtantius quod obtinent, in rebus item præſtantioribus collocare diſponereq́ue pręcipiet: ut mentem, animúmq́ue uidelicet, ad diuinarum rationum ſpeculationem: opes uerò ingenij, autoritatis, fortunæ, conferant, & conuertant ad liberalitatem ac beneficentiam: omnibúsq́ue modis nitantur et elaborẽt, ut uirtutẽ uberrimè atq́ue ampliſsimè exerceãt: in cuius unius ſtudio atq́ue uſu, fructus beatæ uitæ, nec ſolũ princeps illa et propria optimatum ordinis dignitas, ſed utilitas etiam honeſtiore multo ex genere, & uoluptas ea quæ puriſſima eſt omnium uoluptatum ac ſuauiſsima continetur. Atque hactenus quidem illa in Deo præſtans, & eminens diuini rectoris effigies à Philoſophia cognita, in homine impreſſa, in cunctam poſtremò ciuitatem inducta, & translata eſt. Sed, ut ad eum, quem Philoſophia hoc modo inſtituit, docuitq́ue ſemetipſo rectè uti

reuertamur

reuertamur: aliquādoq; peroremus: Cernitis profectò quicquid in natura eſt, quod ſit pulcherrimum, ac magnificentiſsimū, id totum in hac una ſpecie hominis uerè Philoſophi mentibus ueſtris expoſitum eſſe. Nam primùm diuinum illud & longè dominans, quod unitatis, & ueritatis et ſapientiæ ſummæ eſt compos, extat præclarè in hoc Philoſopho, atq; cernitur: unus enim & iſte quoque concordia, et conſpiratione ſuarum partium omnium, & in eodem ſibi ſemper conſtans, diuinarumq; rerū ueritatibus inſtructus, nunquā à ſapientiæ conſilijs deſeritur, nunquam uarietate opinionum diſtrahitur: ſed quacunq; ſe infert, regulam illam rectè agendæ uitæ: id eſt, ueritatē, tanquam lumen de cœlo libatum, pręſe ferens: res quantumuis obſcuras ac diſperſas, & in lucem producit, ut uideri: & in unitatem colligit, ut mente compræhendi poſsint. Quodq; in Principe et Rege totius naturę Deo maximè præcellit, eximiumq; eſt, quod

quod ille diuinis bonis omnibus con fertus, ac redundãs, neq; alienas opes fortunæ expectat, & ſuas ipſe in aliorum largè effundit commodũ: ſuáq; id ſolũ intereſſe iudicat, uti quicquid agit, maximè ipſum deceat, cæteris idem iucundũ utileq; ſit: quòd in hac pulchri et decori perfecta abſolutáq; ſpecie, omne imperium, omnis maieſtas, omnis ueræ dignitatis atq; potentiæ ineſt ratio. Similiter id in noſtro, qui cœleſtium diues bonorum, menteq; inſignibus donis ueritatis illuſtratus, nulla effrænata cupiditate animi ad ea fortunæ bona appetenda proripitur, quę pręter ſubſidium neceſsitatemq; naturæ, extraordinarijs pręterea cupiditatibus ſunt propoſita: magiſq; id ſibi ſtudio & curæ habet, ut alijs ſit ipſe adiumento, & commodo, quàm ut aliorum opibus augeatur: ſolum autẽ ſuum & proprium bonũ ipſe id exiſtimat, quod eſt aptum, conueniens, decorum, pulchrum. Ac quemadmodum propter decori eiuſdem dignitatem atq; pręſtantiam

ſtantiã;facile eſt Deo in omnem naturam imperiũ: ut illi,ſponte ſua ac uolentes,cœleſtes primum globi, ſiderumq́, & ſtellarum æterni ignes: deinde propiora quoq; nobis clemẽta,ſtirpiumq́ et animantium cuncta genera,ſedulò,libenter,enixeq́; obediant: quòd amore pulchri illius incẽſa atq; correpta,quod in Deo præſtãtiſsimè elucet, proximè ſe ad eum conantur adiungere, illiq́; quoad licitum eſt,cupiunt inhærere. Item hominis ratio pulchritudine ſimili prędita,nẽpe quoad imitatio aſſequi primigenum & ſummum exemplar poteſt:eiuſdemq́; honeſti ac decori Philoſophiæ beneficio particeps,primũ interioris animæ partes ſtudioſè ſibi habet obtemperantes:ut amoris imperio,quod fortiſsimum eſt, & uehementiſsimum, non ui, neque metu, infirmis imperij cuſtodibus,facilimè omnia & regat,& tueatur: deinde in commercia & ſocietates hominum translata, ubi Rempubl. & ciuilem ſtatuerit ad ſe pertinere (non enim Philo-

Philoſophum nos patre operario, necꝗ rurſus ex ſtipite aut lapide natũ eſſe uolumus: ſed ex eiuſmodi ſanguine, in quem liberalium artium cogitatio, et ſtudia humanitatis, uideantur aliquando cadere potuiſſe) quos nam progreſſus uobis uidetur habitura? Nónne qui ab hac præclara diſciplina profectus fuerit, ut primùm agere cœperit ſecus, quàm ab egregia illa Phædri ſapientia eſt præceptum, ut non ſequatur, nec imitetur populum, nec ſe inconſultis ferri opinionibus ſinat: tantũꝗ abſit, ut præripiat alijs opum adipiſcendarũ palmam, quòd ruentibus, tumultuantibusꝗ ceteris, ſolus ipſe ſtabili, et quieto animo permaneat: neque ſe ulla eiuſcemodi cupiditate permittat trahi: conuertet in ſe primò aſpectus populi, deinde multorũ ſermones excitabit, mirantium & percontantium, qui nam ſit, & unde, qui tã robuſto, & alto ſit animo, ut non eiſdem rebus ipſe, quibus uulgus, moueatur: quòd ſi quos etiam eorum, qui ad

rapiendum,

rapiendum & congerendũ, mala cupidine incitati ſe proiecerant (ut ſæpe fit) ſpes aut fortuna grauior feſellerit: nónne hic, qui ſe cõtinuit ac repreſsit, plus multũ uidiſſe, quàm cæteri, ſagáxque in primis & prouidus eſſe exiſtimabitur? Et quoniam uita fert, rerumq́; & temporũ exigũt inclinatiões, ut periculum cuiq; ſui, ex natura, & inſtituto ſuo faciendũ ſępe ſit, qui hanc conſtantiam rectè, ordinéque omnia agendi, quam Philoſophiã nominamus, ad omneis res adhibuerit: nec cuiq; rei plus minúsue quàm quantum par ſit, æquumq́; tribuerit: fidem & ueritatẽ ſanctiſsimã habuerit in uita, nuſquã ab eo, quod deceat honeſtumq́; ſit, diſceſſerit: eorum qui ad ipſius curã, fidémq́; pertinebũt, cõmoda in primis, ornamentáq; prouiderit, maximũ ipſe ſibi ornamentum retinuerit dignitatẽ: poſtremo in tota uita, in ſuis dictis, conſilijs, factisq; omnibus, ſimilis ſui undiq;, & ſemper ſibi congruens, æquabilisq; cõſtiterit, quod nemo planè, niſi

niſi idẽ ſit,qui è Philoſophia ſit erudi tus atque inſtructus,probè poteſt & ad amuſſim facere: uerendum credo erit,ne non omniũ in ſe amores, atq; ſtudia, omniũ mentes animosq; con uertat. Admonebunt(mihi credite) homines ſpecie illa honeſti, quæ in graui uiro & conſiderato eximia eſt: cõmouebuntur,impellentur:primũ ut oculorum animorumq; cõtuitus in illum unum cuncti conijciant:de inde,ut ament:poſtremò,cùm tota il lius uitæ iam ratio deliberatióq; pa tuerit,ac perſpecta fuerit, ut ſe & ſua omnia illius fidei,uigiliæ,prouiden tiæq;, ſtudioſiſſimè permittant; quî enim poterunt agere ſecus,quum ui derint illum nil meditari aliud in ui ta,neque præ ſe ferre, quàm ut Deũ, prȩclara imitatiõe,in ſe ipſo referẽs, ſuum decorũ, honeſtumq; perpetuo cuſtodiat:alienum autẽ procuret bo num? Species hæc inquam præſtabi lis,planeq; diuina,ſemper hominum mentibus atq; animis dominata eſt: ſemper uoluntates omnium in pote-

x ſtate

ſtate habuit. Quid deinde autem, quid eueniet? Tantum'ne tu putas, Phædre, ſapientem tuum per aſtutias & ſimulationes, uaframq́ue illam gerendarum rerum calliditatem, honoris & fortunarum adipiſci poſſe, quanta hunc fortunæ & honorum præmia, non dico conſequentur, ſed planè obruent? Etenim quę uſquam natio eſt tam immanis, & barbara: quis tam crudelis, impiusq́ue tyrannus, qui non ſpecie tali iſtius uiri commoueatur? ut etiam ſi eum diligere fortaſſe nō poſſit, ſcelere ipſe & feritate præditus: hac tamen perculſus tam eximiè forma dignitatis, incidat in admirationē? Nam qui ſenſu humaniore pręditi homines ſūt, ſummi, infimi, ciues, externi, nequaquā ulli profectò ſe & ſua fidentius commendabunt, quàm iſti ipſi: nec quenquam cupidius ad ſuas fortunas regendas accerſent quàm hunc, quem uiderint in aliorum bonis commodisq́ue procurandis, ſuū ipſum omne bonū et commodum conſtituentem,

itaq́ue

itaq; omnia ſuſcipientem ac gerentem, ut ſuorum laborum et operum, ad cæteros utilitas, ad ipſum autem fructus uirtutis atque officij qui maximus in uera uita & uberrimus eſt, perueniat: coletur igitur, honorabitur, amabitur, ipſiusq; conſilio & autoritate gerentur plurima: neq; ipſe tamen alienis negotijs ſe offeret, neq; expetet admodũ publicis procurationibus ſe diſtringi; ſed quicquid eiuſmodi aget, atq; ſuſcipiet, totum officio dabit atq; humanitati: ipſe uerò in illa beatiſsima cura rerum cœleſtium & diuinarũ permanebit, quoad poterit, contemplandarum: uitamq; eam in primis amplectetur, quæ maximè è natura eſt, maximeq; hominis propria. Siquidẽ non corpus, neq; animus reliquus, ſed mens ſola eſt id illud ipſũ, quod eſt homo. Quapropter ueras idem etiã ac proprias hominis conſequetur uoluptates: non illas animæ infimæ, quæ & brutæ maximè, & eædem falſæ inanesq; ferè ſũt: neq; rurſus eas, quę in

 ſenſibus

ſenſibus conſiſtunt, uagas & errantes, & uarietate ipſa ſemper inſtabiles, ſed quum has utraſque modo rationeque finitas, tum illas plene et cumulate, quæ arcte, & compreſſe, & peculiariter attingunt hominem, inque eum ipſum penitus ſe infundũt, & illiquefaciunt, ſuntque menti, & ijs, quæ ex mentis officio geruntur, agnatæ maximè & familiares: quarum ut uериſsima, atque puriſsima, ſic iucũdiſsima & ſuauiſsima eſt perceptio. Quocirca homo præceptis Philoſophiæ edoctus, ac ſemet ipſo in omnem partẽ recte utẽs, ſimilem ſeſe(quoad fas eſt) efficiet Deo, tum in uitæ ratione, dum quo ille modo omnia agit, eodem iſte modo cuncta & aget, & exequetur, ut deceat ſibi, ſemper proſit alijs, tum in perpetua animi lętitia ac uoluptate. Qui ſi prę ter has communeis Philoſophiæ rationes, quæ ſimilitudinẽ & imitationem præpotentis Dei inſinuant nobis atq; proponunt, illa quoq; præterea maxima atq; ampliſsima eiuſdẽ
Dei

Dei beneficia in genus humanum co gnouerit, quæ uni tantum generi no minique noſtro, qui Chriſtum filium unigenum Dei colimus, & profitemur, propriè ac ſingularit̃ data ſunt: quod in hac una religione, & ſalus hominibus eſt, & uera beatæ uitæ in terris ratio, in cœlo immortalitatis adeptio: nedum per Philoſophiam, à pura & integra religione non deflexerit, quemadmodũ tu, Phædre, dudum calumniabare: ſed magis in ea etiam ſtatuetur, & confirmabitur, ad eos enim amores, qui communibus beneficijs Dei ſummi debentur, accedent alij magis peculiares et proprij, per quos fortiſsimè cum deo erit colligatus. Non enim de leuibus ſophiſtis in præſentia, neque (ut opinor) de futilibus hominibus quibuſdam, ſed de conſideratis & integris & conſtãtibus eſt ſermo, qui omnia metiuntur conſilio & probitate, neque à maiorum ſuorum, de quorum integritate, & ſapientia optimè ſentiant, decretis atque ſcitis ullo pacto recedũt:

ſed quo ingenio hominis, atque do/ctrina peruenirí nõ poteſt, de eo patiuntur Dei immortalis numine, & ueterum autoritate ſanctiſsimorum hominum, facilè ſibi perſuaderi. Hic paulùm quum requieſſem, Expoſui uobis, inquam, quemadmodum quidem potui, & uim utilitatemq́ꝫ Philoſophiæ, & eius uiri qui ritè ac legitimè Philoſophetur, ſpeciem atque formam. Quæ mea expoſitio ſic uniuerſe facta, ſatis ne reſpondere Phædri calumniæ uideatur, ueſtrum iam eſt iudicium. Mihi quidem & magnitudo rei, & breuitas temporis, & mehercule, rem, ſi quo modo ea eſt, fateri uolumus; mei etiam ingenij ad tantum tollendum pondus exilitas, uehementer obſtitit, quo minus uobis omnia, quemadmodum quidem cupiſſem, potuerim exprimere: in quo non recuſo, quin meæ tarditati culpam, non Philoſophiæ ipſi aſsignetis. Hic Gallus, Sanè quàm probaſti tu mihi, Sadolete, defenſionem tuam, inquit, nec uideo, Philoſophia

quid

quid poſsit eſſe diuinius. Itaque ego,qui in eam antea propenſione animi ferebar, nunc planè illius amore totus ita ardeo, ut non ſim eam unquam è complexu meo dimiſſurus: illud aueo quàm maximè, & quàm primùm, ut iſta quæ ſunt à te diſputata, in Commentarium referantur, quo ocyus queam exemplum Vrbinum mittere ad meos amicos, taleis uiros, qualeis tu quoque in primis exiſtimas. SVMMOS & ſingulareis dicis, inquam, quorum conuentu apud lectiſsimam omnium fœminarum HELISABETAM reginam Vmbriæ, illa ciuitas atque adeo Italia omnis ornata eſt. Vero, nec iniuria,inquit,non enim uſpiam alibi terrarum,neq; noſtra, opinor, neque antiquorum memoria, tot & taleis principes ingenij ac literarũ facile uno in loco quiſpiã poſsit nominare,quot nũc Vrbini præclarũ cœtũ conſtituunt:quippe cùm illic adſit et Petrus Bẽbus maxima celebritate

& nomine uir: quę præter eximiam omnis uirtutis & humanitatis laudem, uerè parentem, cùm Romanæ ueteris, tum recentis huius Italę eloquentiæ poſſumus appellare: & duo fratres Italiæ uel præcipua lumina, Federicus & Octauianus Freguſi, nobilitate, dignitate, prudentia, literis maximè illuſtres: itemq́ſ ſpectatum ac nobile par Baldaſarus Caſtillioneus, & Cæſar Gonzaga: qui militaribus ambo & bellicis uirtutibus inſignes, ad illā fortitudinis laudem, optimarum quoque & literarum, & artium, nō inferius decus, addidere. Quanquam ne ſingulos colligam, illam ego urbem hoc tempore, non hominum cuiuſquemodi domicilium, ſed Muſarum diuerſoriū eſſe puto. At ego, inquit Citrarius, habeo ſtatim queis cum communicē, familiareis hos noſtros, quorū quotidianis cœtibus domus tua, Galle, celebrabatur, Camillū Porcium, & Bloſiū Palladium: quorum ingenijs, ſpectabiliq; morū et ſermonis elegantia ſoliti

liti

liti ſumus omnes apprimè delectari: Etſi, quanquam uterq; utranque, tamen alter eorum oratoriam magis laudem, alter poëticam eſt proſecutus: Tum autem Camillum Paleotum, & Philippum Beroaldũ, hunc iuniorẽ dico: Nam ille ſenior haud ſanè uſquequaq; doctorum iudicio idoneus eſt qui probetur: hi autem duo ſuis ingenij & uirtutum ornamentis, non municipio Bononienſi modò, unde oriũdi ſunt, ſed huic urbi tantæ, non exiguum decus potuerunt afferre. Nã Euangeliſtã Mathalenũ, tuum familiariſsimũ, Sadolete, quémq; nos omnes plurimũ ipſius merito, & quanquam doctus admodum uir eſt, humanitatis tamen ac liberalitatis cauſa pręcipuè diligimus: quo ego gaudio ſublatum iri puto, cùm te operam hanc nauaſſe Philoſophiæ laudemq; ex eo conſecutum eſſe intelliget? Vtinam quidem, inquam, talibus ingenijs, mea hæc opera & uoluntas iure probata ſit. Sed quid ait nobis Phædrus? Egóne? inquit:

quit: te alieno quodam in hominum genere tuum iſtum ſapientem, tanq̃ in ſomnijs conſtituiſſe. Nam his quidem hominibus, quibus cum uiuimus, mea ſapientia ad manum ſemper futura eſt paratior. Quæ quum eſſent dicta, ſurreximus omnes, aliquótque deambulationibus ultro & citro factis, reliquum conuiuio, uarijsq́ sermonibus, Phędro in primis multa facetè, urbanitèrque dicente, hilarem & lætum conſumpſimus diem.

FINIS.

Adhortatio

ADHORTATIO

AD CHRISTIANAE DOCTRI/ *næ, per Paulum proditæ, ſtudium,* *Theophili Neocomenſis.*

EQuidē agnoſco, Paulinæ philoſophię ſtudium uobis cōmendaturus, rem me conari nō paulò maiorem uiribus. Quæ eſt enim humana eloquentia, nedum mea, quę poſſit, uel par eſſe Pauli laudibus explicandis, uel hoc doctrinæ genus adſerere? quod, quantumuis magno Chriſtianæ Reipublicæ malo ſeculorum aliquod faſtidit conſenſus, quem ſi uſquàm aliâs, certe in literarum ſtudijs, niſi non dolet dediſcere, quod ſemel imbibimus, pertinaciſsime tuemur. Verum, cū in pia cauſſa nullus ſit nō laudandus conatus, nō dubitaui audacius fortaſſe, q̄ prudentius, ſed pie tamē, rem, quamuis impar, egregiam tentare. Nihil ætas, nihil tenuitas noſtra dehortabatur

batur, quando non alius luſus hanc ætatem perinde decet, atq; qualecunque rerũ Chriſtianarũ rudimentũ. Nam quòd noluit Chriſtus noſter à ſe pueros arceri, quaſi ſigno ſublato adoleſcentiam ad ſui ſtudium inuitauit. Proinde, niſi nihil huiuſmodi uotis proficitur, optarim mihi non imitabilem Periclis, aut Lyſiæ eloquentiã: Quorũ alterius labra Peitho in ſediſſe uetus Comœdia teſtatur, Alterum etiam ille iuxta Apollinis oraculũ ſapiens Socrates admiratus eſt: Sed illũ ipſum uere flexanimũ Paulinæ linguæ ſpiritum, diuinitus ſuppeditari, & orationem noſtram animaturum, & pectora ueſtra, ad complectendam cœleſtẽ ſapientiam, inflammaturum. Quid enim magis conuenit, quàm de ſacris rebus dicturos, diuini numinis opem cœlo deuocare? uos item mecum communibus optate uotis, ut benignus dei ſpiritus, radijs ſuis animos ueſtros colluſtret, et ad hoc philpſophiæ genus praparet, quod inauditum eſſe uiribus humanis,

nis,

nis, uel hoc inditio eſt, quòd paucis admodum poſt Paulũ contigiſſe uidemus: recentiores uero Theologos quos uocant, etiã obſcuraſſe: Quod utinam audacius dicerem, quàm uerius. Equidem ut uelim Paulinã doctrinam nõ monachis, aut Theolgis tãtũ iſtis ſcenicis, ſed uulgo etiã Chriſtiano familiariſsimã eſſe; ita puto ad formandã uitam, nullam ſapiendi rationẽ accomodatiorem, nullum certius ad fœlicitatem compendium eſſe. Primum enim ratione quadam & doctrina opus eſſe, ad inſtituendam uitam, uel hoc argumento eſt, quòd nulla priuatim domus, nulla ciuitas publice, citra legum uſum adminiſtrari poſſe uidetur, ut literas in hoc repertas uериſimile ſit, quo præſcriptis, adeòque duraturis legibus, paulatim gliſcenti hominũ cupiditati frenum inijceretur. Extant uiuendi formulę aliæ diuinitus proditæ, aliæ ab ingenioſis hominibus conſcriptæ, quale eſt, Heſiodi, item Homeri poẽma, quales philoſophorũ cõmentarij

tarij, quales pleræq; nobilium ciuitatū leges ſūt, quarū memoria, hiſtoriarū beneficio, ad noſtra tēpora propagata eſt. Verū in his diuinæ leges tāto ſanctiores ſunt humanis, quāto propius effingūt tū autorē, tū archetypum omnium bonarū rerum, quē non dubium eſt nuſquam certius expreſſum, quàm in ijs literis, quas ſuis ipſe digitis, in eſtimēda benignitate, lapideis tabulis inſculpſit, prȩcepitq; omnibus poſtibus, ȩdium ueſtibulis, fimbrijs item ueſtium inſcribi, et ſcopi uice, ob oculos interq; manus reponi, unde uitæ uniuerſæ ratio peteretur. Iā & hoc humanæ leges diuinis ſcripturis uincuntur, quod legibus Euangelicæ literæ additæ ſunt, quæ Chriſtū generi mortaliū exhibent, qui ſpiritū impertit, quo humani animi accenſi, nihil nō cœleſte, ſua ipſi ſponte adſectent. Lex em̄ recti uiam mōſtrat. Sed honeſtū animis humanis ille Chriſti ſpiritus abſoluit. Adeò plane fieri nequit, ut ſolis legibus adiutus uitā probe inſtituas. Ne

que

quec͂m ſatis eſt uidere quid agas, ſed refert uel omniũ maxime, quæ Euã/ gelij farrago eſt, ſcire, unde animum petas legibus fauentẽ, et honeſti amã tem: nempe quẽ à recti amore naturę genius auocat. Etenim, ſi ſolis legi bus humanæ mẽtes ad uirtutẽ incita bantur, nõ erat, cur aut filius dei car/ nem indueret aut euangelicæ literæ proderentur. Quare cùm ad compo nendã uitam, tum legum, tum Euan gelij cognitio neceſſaria ſit: cùm uni- cum ſalutis compendiũ, ſit ſacrarum rerum ſcientia, quin omnes certa- tim animos diuinis literis deſponde- mus? ſiquidẽ ſua cuique ſalus eſſe ꝙ chariſſima debet. Alia ſtudia, alijs uoluptas, alijs quæſtus cõmẽdat, hoc uero pijs omnibus inſtituẽdæ uitæ cura, adeóq; pluſquã Diomedea ne- ceſſitas. Porrò, qui è ficticijs philo- ſophorũ, aut Theologiſtarũ cõmen tarijs uitæ formã peti poſſe cenſent, ꝙ irreuerenter, quàm impie de di- uinis literis ſẽtiãt, ueſtrũ eſto iudiciũ Nam ſi noſtris inuentis, componi

mores

culi noſtra iactamus ſomnia? quid ἀλαοσκοπὸν philoſophiam Nugarum regnum, uitæ formam appellamus? Quin uidemus, quàm inſanis Philoſophi dogmatis cæcitatē ſuam teſtati ſint, dũ in peruestigãda rerũ natura nuſquã nõ hærent, nuſquam nõ hallucinantur, dum, de bonorũ ac malorũ finibus diſceptant: ubi hic uoluptatem, ille indolentiam, hic εὐθυμίαν, ille gloriã, Stoicus falſo nomine uirtutem Peripateticus multo ineptius uirtutis uſum, adſerit. Videbat ipſe Socrates, nõ eſſe certi quicquã in uniuerſo philoſophia genere, cũ ſapientiã ſuã uocaret ἀμφισβητήσιμον ὄναρ. At hominum λογολεσχίας etiam diuinis literis noſtrorum temporum Theologi prætulere, quibus debemus, ut nihil hoc tempore ſint Chriſtianæ literæ, niſi maliciæ quædam fallacis loquelæ, ut ille apud Ciceronẽ ait. Adeò, quod doctrinæ genus diuinitus ad corrigendas, cõfirmandas, cõſolandasq; hominum mentes proditũ eſt, friuolæ addo etiam indo

ctæ loquacium & impiorũ Sophiſta-
rum καὶ βίβλοι κενοφωνίαι magna ex
parte extinxere. Vel contemni pote-
rat, ſi quid uulgariũ artium interijſ-
ſet, uerũ eam diſciplinã intercidere,
quæ una eſt periclitantiũ animorum
portus & aſylum, adflictæ conſcien-
tiæ ſolatium quis nõ deploret? Et his
literis antiquatis, quibus ſolis muni-
ri Chriſtianæ res ſolebant, quàm ty-
rannidẽ in omnes hominũ ordines
Satan exerceat ſæuiens, etiam dicere
horreo. Quondã prudenter in admi-
niſtrandis ciuitatibus cauebatur, ne
publicæ leges ignorarẽtur, niſi quis
æneas decẽ uirorũ urbis Romę tabu-
las, Aut ligneos Athenienſium ἄξονας
neſcit. Et ſapiẽtiſsimus Rex Minos,
Iouis ut ferunt ὀαριστύς, quotannis le-
ges ſuas æri inſculptas ter circumfer-
ri per omnẽ Cretam uoluit, ne non
eſſent & uulgo notiſsimæ. Quid me-
morem, q̃uantum operæ, philoſophi
dogmatis, ſuæ quiſque factionis, edi-
ſcendis impendant? Pudeat Chriſtia-
nos quibus ſolis & dei et patris, et ſer
uatoris

uatoris ſui ſalutaria placita fere igno
rãtur. Et qui tot regis noſtri inſigni
bus, nobis placemus, lauacro παλιγγε
νεσίας, item ſacro pane, illud ipſum ne
gligimus, per quod unum proxime
ad ipſum accedi poteſt. Siquidẽ, ſer-
mo maximi patris Chriſtus eſt, non
alia ratione Chriſtũ certius expreſſe
rint animi noſtri, quàm ſacræ doctri
næ ſtudio, in qua illius uelut in ſpe-
culo relucet imago. Carnẽ æternus
dei ſermo induit, ut & nos ſignifica-
ret diuini ſermonis cõmercio ἀποθεοῦ
σαι. Id ꝙ elegãs quidã, & pius naſcen-
tis eccleſiæ Theologus teſtatꝰ, inqui-
ens, nos ſermone ueritatis genitos eſ-
ſe, ut eſſemus primitię creaturarum.
Quod ſi Chriſtianarũ mentiũ aluus
ẽ Euãgelica doctrina, q̃ ueſania, q̃ im
pietas ẽ hominũ figmẽta pferre? Et in
ſacris uel maxime neceſſarij ſunt ad
formandũ animũ Pauli cõmentarij:
Nã cũ alia uolumina leges pſcribant:
alia rerꝫ geſtarũ hiſtoriã narrẽt, Pau
lus noſter methodica quadã diſputa-
tiõe eos locos pſequit, citra quos nõ

admodum profuerit leges didiciſſe: Nec prophetarũ uaticinia, nec Euangelicæ hiſtoriæ adiri poſſunt, niſi huius cõmentarios, ceu amnẽ comitem ad mare, methodi uice, ſequaris. Nã, cùm in tractãda hominis natura, tyrannide peccati, legis regno, abſolutæ uirtutis origine, ac propagatiõe, ſacramentis, conſiſtat rerũ theologicarum ſumma, unicus Paulus hos locos palàm ob oculos mortalium poſuit. Breuiter redẽptionis noſtrę gratiã, adeóq; Chriſtũ ipſum ignoraremus, ſi Paulũ orbi terrarũ deus inuidiſſet. Neq; eñ Chriſtum nouiſſe, eſt hiſtoriã rerum ab ipſo geſtarũ tenere, ſed agnoſcere ingentia beneficia, quæ per ipſum in orbẽ terrarũ Opt. Max. deus effudit: Spiritũ ſcilicet, & abſolutæ uirtutis autorẽ, & arrabonem gratiæ, quem antehac neſciebat mortalitas. Fruſtra diuinis legibus animũ deuoueris, niſi Chriſtũ eſſe, Paulo magiſtro, ſcias eum, à quo ſpiritus petẽdus ſit amans eorũ quæ lege iubẽtur; deinde & qui, ſi quid prę

ter

ter legẽ,ut imbecillitas humana,deli queris,ignoſcat. Fruſtra itẽ Euangelicam hiſtoriã didiceris,niſi hiſtoriæ ſcopos,& uſum,illo monſtrante,obſeruaueris. Vbi de legis abrogatiõe, de peccato,de carne, de ſpiritu, de filijs adoptionis, de libertate, de ſeruitute diſſerit,quid aliud agit,quàm ut ceu methodo quadam uniuerſæ ſcripturæ lumen adferat? Omitto quæ myſteria,quàm ſublimia doceat,ubi cœperis in eũ attentius oculos defigere. Satis amplũ enim fructum feceris, ſi uel à limine ſalutaueris. Nã,quod ad confirmandas & conſolãdas cõſcientias attinet,nemo Paulo, mea quidẽ ſententia,præferẽdus eſt. Summa cura eſto, ut in hoc diſcas, quò habeas uitæ formam ac regulã. Etenim,ſi diſceptandi et litigãdi gratia didiceris, uide quàm facias atroce ſanctiſsimo uiro iniuriã, qui pacis adſertore,pre cone Chriſti, qui ſolus uera pax eſt, tam fœdè abuteris. Nam quòd quidam Theologica ad ſcenã, ad uulgi plauſum comparãt,deplorandum magis

quàm inſectandũ eſt. Iam & ex Paulo cognoſcere licebit, qui fructus longe pulcherrimus eſt, inter Chriſtianàm doctrinam, & philoſophiã proprie quid interſit, quod ut adprime neceſſariũ eſt cognoſcere, quotquot in philoſophicis ſtudijs uerſantur: ita neglectum uideo à ſcholicis doctoribus in uniuerſum, qui è Theologia nobis non aliud fecere, quã illam Græciæ hirciſſantem anum, philoſophiã. De quo diſcrimine ipſe quidem hoc loco dicerem, niſi dehortaretur argumenti difficultas. Verum, hoc uelim om̃ibus Chriſtianis mẽtibus perſuaſum, prorſus aliud eſſe Chriſtianiſmũ, quã uel philoſophiã, uel noſtrorũ hominũ Theologiã. Alia ad uirtutẽ uia eſt, alius bonorũ finis, alia hominis ἐνθυμία, quã præſcribit Paulus, quã quæ philoſophorũ ſcholis docetur. Miſerã Remp. Chriſtianã, quæ ipſa ſui oblita, in alienas ſcholas detruſa eſt, imò quæ iuxta ſcripturã cõtubernio Moabitidũ alienã linguã, oblita patriæ, didicit. Quam calamitatẽ nõ
uideo

uideo cui debeamus, niſi inſanis iſtis magiſtris noſtris, qui ſe imperite plebeculæ, emẽtito doctrinæ titulo uenditant. Præterea ꝙ accurate formet Paulus omes hominũ ordines, principes, epiſcopos, iuuenes, ſenes, matronas. Nã hæc fortaſſe communia habet cũ alijs ſacris ſcriptoribus. Hãc ſibi laudẽ propriè uindicat, ꝙ gratiæ originẽ ac propagationẽ, adeoq; peccati & legis uim excuſſit, quos potiſſimũ locos ab eo requires. Atq; hæc omia, ꝙ graui, ꝙ dilucida, quam elegantí oratiõe perſequitur? Breuiter qdẽ, ſed ita ut nihil deſit, ut nuſq; nõ ſatisfaciat. Periclis orationẽ aiunt ſolitã in auditorũ animis tenaces quoſdã aculeos relinquere. Huius dici nõ poteſt, ut flectat, ut uerſet, ut rapiat, ut inflãmet legẽtis animũ. Dolet conſciẽtia, cõſolat: ſollicitat cupiditas genialis, uocat in uiam: retinet ne frena laxes ægreſcẽti animo, illum ipſum oſtentat Chriſtum qui ſeruet: deniq; quicquid morborũ animũ fatigat, ab hoc pete præſentaneũ remediũ.

Neque ulla tam efficax Panacea eſt, quàm Paulina oratio, nullum aduerſus ueneficia tã ſalutare Moly quàm aduerſus animi morbos Pauli doctrina. Platonicũ Charmidẽ morbo, neſcio quo, leuaturus Socrates, duplex indicat remediũ: & radiculam quandam & incantamentũ, cenſetq; parũ profuturã radiculã citra incantamẽtum, ſeu ut Platonico utar uerbo, citra epoden. Porrò radiculam interpretatur temperantiam, epoden Philoſophicam doctrinam, ſine qua, quacunq; uitæ rationẽ ineas, incertam et inſtabilẽ putat futuram. Quanto amplius pretiũ operę facturus es, ſi morbis animi medicaturus, Pauli doctrina utare, tantò quibuſuis epodis efficatiore, quantò diuini ſpiritus uis humanis præſtat omnibus. Sunt animi morbi, tum carnis cupiditas, tum male conſciæ mentis pauor, quibus quando nemo, ut Paulus, medetur, nõ eſt cur alterius deſideres epodas. Nam ſæuientẽ cupiditatẽ, alij per leges cohercere ſtudet; Hic Chriſtum

illum

illũ noſtrum exhibet,qui in hoc carnem induit,ut expiaret:Neq; præcipit modo imperandũ animo, ſed eũ oſtendit, qui uires addat periclitanti. Iam uero uel unũ profer qui docuerit, quomodo male conſciã mentẽ, id quod plurimũ in rebus Chriſtianis refert, cõſoleris. Nõ nego eſſe locos, quibus afflictã conſcientiã cõſoleris,et in reliquis ſcripturæ uoluminibus,ſed ſubobſcuros,& quorũ nullus uſus futurus erat, niſi à Paulo illuſtrati eſſent:In humanis doctrinis nego eſſe in uniuerſũ, qui ſauciæ mẽti mederi poſſit. Imõ,quid agũt aliud ſcholici doctorculi,quàm ut adflictã conſcientiã prorſus excarnificent & enecẽt? id quod eſt cernere in formulis caſuũ,ſummis,quas uocant, in ſatis factionũ aduerſarijs,et neſcio quibus nugis alijs: Sauciant & male ſanæ Pontificũ cõſtitutiones, ut iures uerius ſanguine ſcriptas Pontificũ, quàm Draconis Athenienſis,leges. Quod gẽus doctorũ apte uocat Hieremias Aſpides, quæ nullo carmine

uinci queant. Quanquā bone deus, nuſq; meliorē nauaſſe operā ſibi ſcho lica Theologia uidetur, q̃ in conſci entię cenſura. Proinde iuuenes Chri ſto inaugurati, Paulinæ philoſophię animos addicite, niſi non eſt uobis ſa lus ueſtra curæ: Hinc formam Chri ſtianæ uitæ, hinc animorum ſolatia, hinc rer; omniū tum diuinarū, tum humanar; iudiciū petite. Etenim, iu uentutē in primis refert, nihil anti quius, nihil prius ducere Chriſtiana diſciplina, è qua ceu uiaticū feliciter tranſigendæ uitæ, paret. Neq; enim fieri poteſt, ut probe inſtituas uitam, ut feliciter trāſigas, niſi Paulinis ad iutus literis, aduerſum inſidias perti nacíſsimorū hoſtiū ſatanæ & carnis. Reliquas artes omneis uel contem nere licet: Paulina, niſi ſpem omnē ſa lutis abieciſti, negligi nō poſſunt. Et Epiſcopos adniti decebat, ut hæc te nerēt, nō modo qui ſtudioſi uocant̄, ſed plane uniuerſum Chriſtianū uul gus. Decebat Academias nihil maio re cura ac ſtudio docere, q̃ hoc gēus

pias

pias lr̃as, quas barbara & cõfuſanea diſciplina, philoſophiã iſti emẽtito titulo uocãt: forẽſibus itẽ litibus, et ſordida quadã philoſophię æmula, Theologia, maiores nr̃i mutarũt, χαλκεια, ſi dijs placet, χρυσέων. Ipſe magno animi dolore, nihil aliud uideo Academias eſſe, ꝙ tẽpla Tophet, et funeſtã filiorꝫ Ennon uallẽ: nẽpe exulãtibus Chriſtianis lr̃is. Habuerũt Athenæ ex Ariopago, habuit ſparta pędonomos, q adoleſcẽtiã optimis qbuſqꝫ modis formabãt, & hi quãto felicius ethnici iuuentutẽ erudiere, ꝙ nr̃orũ tẽporꝫ Academiæ? Quin uoſipſi, ſtudioſi iuuenes, rẽ capeſſite, fauebit ita conatib. ur̃is, ut ætati, cœleſtis ſpũs: & Chriſtũ nuſqꝫ euidẽtius expreſſũ, ꝙ Paulinis lr̃is, aſſiduo cõtẽplamini. Nullus deo gratior cultus, nullũ magis piũ exẽplũ, ꝙ in pias literas uelle trãsformari. Et res ipſa ſemel tẽtata, ſuis uos illecebris ita capiet, ut deſerere non libeat: Nam cũm per ſeſe bonarꝫ rerũ cognitio iucũda ſit, Chriſtianarũ etiã ſalutaris eſt, ut nihil dubi-

tem

tẽ multis nominibus iucundiſſimũ fore Pauli ſtudiũ ubi ſemel delibaueritis. Fama eſt, Aegyptios gentẽ ſine exemplo ſuperſtitioſam, nouo quotannis uere legũ ac literarũ ſuarum auctori Mercurio quondã ſolenne ſacrum feciſſe, multitudinem undiqꝫ confluentẽ publica epulatione, melle ficuqꝫ operatã. Sacri uetuſtatẽ ritus arguit: Nam & aureo illo, quod uocant, ſeculo, publica fere conuiuia, ſacrificia fuere, & opimæ deorũ hoſtię mel ac ficus, quorũ uſum deinde et in πελάνοις manſiſſe tradunt. Inter epulandum læte uoces iactari ſolitæ, & quaſi Pæan quidam Mercurio cantari, neutiquam inconditum carmen γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, Qua uoce haud obſcure declarauit Aegyptus, ꝙ grato pectore Mercurij leges & inſtituta cõplexa fuerit. Eodẽ Pæane magna mihi ſpes eſt, Pauli doctrinam uos, ubi deguſtaueritis, celebraturos. Cui enim iuſtius, quàm qui Chriſtiana, eadeqꝫ optime & gratioſiſsime docet, decantari queat hic hymnus, γλυκὺ ἡ ἀλήθεια.

FINIS.

ALIVD PHILOSOPHIAE ENCOMIVM PER *Theophraſtum Meritorium.*

SI quis pſitacum, uel bolinthum, uel onocrotalũ prodeat oſtẽſurus, omẽs ſtudioſi iuuenes cateruatim, ſat ſcio, accurreretis, noſtris finibus incognitum alitem, exoticámque beluã, & agnoſcere & uidere cupientes magna animi corporiſque agilitate & motu. At ſi de literis uel philoſophia ſe dicturum aliquis polliceatur, exigui momenti res uobis uidetur, adeóque nullius precij, quippe quam uulgatiorem & uiliorẽ eſſe cenſeatis, quàm quod auſcultatione ueſtra indigeat, quum in dies ſingulos huiuſmodi ferè audiatis. Enimuero cuius rei uires & energię deliteſcunt, neque admodũ innotuerunt, eam profecto uel pauci, uel nemo prorſus aut demirari aut am-

plecti poteſt. Incognitũ enim à pau/ cis mortalium inquiri ſolet. Quod ſi philoſophiæ uſus pulcherrimus om/ nibus eſſet expoſitus, longe plures nanciſceret hodie ſectatores & ama tores. Tanta eſt eius uirtus, eiuſmõ di præclara emolumẽta, nec nõ com moda, tot, ac tanta ſunt eiuſdem or= namenta, quibus ſuos alumnos & ſe ctatores ſplẽdidiores beatioréſq; red dit. Vtinã adoleſcentes intuerentur apertis oculis in pulchritudinem, in ſpeciem, in formã, in decus Philoſo- phiæ, ut igni eius caleſcerent & cale- facti ea imbuerẽtur. At nõ eſt culpa bonorũ ingeniorũ, quod contemna- tur fere hoc ſtudiorũ genus, ut om= nes aliæ præclaræ diſciplinæ, ſed oſo rũ uirtutis & literarũ, quorũ uel tor pore uel amentia ab eo ſeuocantur, uel praui ſodalitij peruerſitate id cõ- tingit, qua fit, ut iſtius mores & ua/ gabunda ueſtigia ſecuta palantes ali- os, ipſa etiã errans aſpernetur ea, quę non intelligit. Quocirca quum Ma/

ſores noſtri, iudicio & rerum cognitiõe clariſsimi paſſim in Academijs et ſcholis publicis ſtatuerint, et recte, et prudenter, ut adoleſcentes, ſi quando in Grammaticis & dialecticis robur feciſſent aliquod, ad philoſophiam ſe conferrent, & primum ad eam partem, quam ueteres φυσιολογίαν, Galeno principe & philoſophorũ & medicorũ una cum Ariſtotele teſtimonium dicente appellarunt, uoluerunt minime male conſultum & ſtudioſis & poſteris nobis, quippe qui mẽtis ſuæ perſpicientia, atq; adeo experientia edocti, expenderẽt ſecum recta ratione, quantum commodi uel inde eſſet ad iuuntutem prouenturum. Horum ſapientiam & inſtitiutonem, ego qui neque ſapientia, neq; de inſtitutione gloriari poſſum imitatus, pauciſſimis de naturali Philoſophia, dicam, periculum facturus, ſi qua ratione, præclaræ huius diſciplinæ candidatos, ad maiorem pulcherrimæ nymphæ, philoſophiæ dico amorem accendere et in

flammare

flammare queam. Quæ dum perſequi molior, uos quæſo ſtudioſi iuuenes & patiẽter et attente auſcultetis. Dicam autem breuibus de uetuſtate, præſtantia & commoditate, pulcherrimæ diſciplinæ, ſeu ſcientiæ naturalis, qua plurimum mortalium genus conditor omnium rerum, cunctarúmq; artiũ fons et autor Deus exornauit. Principio itaq; quũ palantes in orbe terrarum, in uarias linguas et gentes diſperſi eſſent poſteri Adami maiorúmq; ſuorum de Deo uero & uiuo præceptionibus relictis, ad mundi huius negocia, ut fit, curas & uanitates animum adieciſſent, extinctum eſt in eis lumen ueritatis, & cognitionis, neque principium neque finem habentis Dei. Ac tametſi cupiditate & prauis affectibus ducerentur uniuerſi, & in nulla non uicia proni ruerent, unde & omnis generis calamitates & morbi humanum genus cùm inuaſerint, tum inſeſtarint, ut grauiſsimus autore Heſiod. in Promethei, Epimethei & Pãdorę

fabula

ſabula adumbrauit, ingeniũ tamen & rationẽ non ademit eis, benigniſsimus uniuerſi cõditor Deus, quo poſſent indagare & ſcrutari naturæ arcana, unde ab ea diuinitus conceſſa humano ingenio alacritate ac uirtute, & Homerus & Heſiodus homines ἀλφηστὰς appellare conſuerũt. At priuſquàm ad originem & uetuſtatem eius perueniamus, primũ quid ſit philoſophia, quę item eius diuiſio exponemus. Eſt ergo philoſophia, ut philoſophi hiſtoria, quæ Galeno adſcribitur habet, & ut ueteres definierunt σοφία καὶ κατάληψις θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. Cic. diuinarũ & humanarũ rerũ cognitionẽ uertit. Hęc finitio certe paucis uniuerſam mundi machinã, et omnia quę ea circumſcribũtur & continẽtur, comprehendit. Quod ſi res diuinæ & humanæ in ſuas ſpecies ſcindantur, quam ſeſe latiſsimus cãpus ac tantũ non Oceanus rerum aperiat, quis eſt qui non uidet? Triadem eius ſectio admittit, qua in logicen, in phyſicen et ethicen

z diducitur.

diducitur. Nolo hic commemorarè prolixius, quomodo ſub logice, non ſola Dialectica, uerumetiam aliæ ingenuæ artes comprehendantur. Sub Ethice uero, quæcunq; ciuilem uitã et conſuetudinẽ reſpiciunt. Vt Oeconomica, Politica, Ethtica, ius ciuile, adeoq; leges cùm diuinæ tum humanæ. De phyſica enim tantummodo orationẽ hanc inſtituimus. Proinde φυσικὴ nomenclaturam habet παρὰ τὴν φύσιν, id eſt, ab natura, quod de naturæ diſſerat uiribus, rebus, operationibus. Eſt enim nemine non palã philoſophiã naturalem eſſe, quæ circa naturæ principia uerſetur, quę de rerum principijs, de cauſis, de tempore, de motu, de uacuo, de infinito ratiocinetur. Hæc terrã, maria, aërẽ, ignem, cœleſtes ſphæras, ſyderũ ortus & obitus, atq; adeo, τὰ μετέωρα rimatur, tum quæ de anima anxie, ac de omnibus animantibus & creaturis ſollicite diſſerit ac diſerte loquitur. Hæc apud Ariſtotelem in libris principiorum ſeu naturalis auſcul-

tationis

tationis traditur, in libris de cœlo, & mundo de generatione & corruptione, in Meteorologicis, in ijs, quos de anima inſcripſit, in hiſtoria & partibus animalium apud omnes Aſtronomos, Geogrophos & Coſmographos docetur; Quid enim opus eſt ueluti catalogum quendam texere huiuſmodi autorũ? Nec enim adducã hic Ptolemæũ, Euclidem, Dionyſiũ Halicarnaſeum, Pliniũ, Pomponiũ Melam, Ac naturæ ipſiſſimos ſacerdotes, ſacroſanctosq́ antiſtites, Hippocratem & Galenũ, qui omnes in philoſophia hac eximij & præclari fuere. Deficiet me tempus, ſi omnes clariſſimos uiros, qui in hac inſigni & minime cõtemnenda arte floruerũt, enumerare cupiã. Hæc de ſectione philoſophiæ paucis ſufficiant, iã unde deflexímus, reuertẽur. Quod ſi ortus uetuſtas, nonnihil ſplendoris rebus addere ſolet, naturæ hæc philoſopia, non immerito ſplendidiſſima erit, quippe quæ, ut aliæ bonæ artes, Deum autorẽ agnoſcit & fate-

tur, quæ eo nomine reliquis philoſo phiæ partibus uetuſtior eſt, ꝙ hanc mortales excolere prę aliĳs ceperint. Vt enim primũ apud Perſas, Babylonios Aſſyrios et Chaldæos, philo/ ſophia tota, cum ſuis partibus principium duxerit, planũ eſt. Nam quod Gręcis & Latinis hodie ſunt philoſophi, apud gentes uetuſtiſsimas, Per/ ſas nempe, fuere magi, apud Babyloniós uel Aſſyrios Chaldæi, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Celtas et Galatas Druidæ, καὶ σεμνόθεοι, ut Diogenes Laërtius ex Ariſtotele & Sotione teſtatur. Qui principio ad philoſophiæ ſeſe conferebãt ſacra, ut Zamolxis, Ochus, Muſæus, Linus, Orpheus, Thales Mileſius, idꝗ genus cæteri, Sophi, id eſt ſapientes appellabantur. Id uerò nominis, ut quod neſcio quid arrogantiæ ſpiraret, Pythagoras primus reſpuit, maluitꝗ philoſophum ſe, id eſt ſapientiæ amato/ rem, quàm σόφον, hoc eſt, ſapientem uocari. Quod præter Deum, in terris nemo recte ſapiẽs diceretur: hinc

apud

apud omnem poſteritatem τῆς φυλοσο-
φίας nomen remanſit. Ad hæc philo
ſophus apud Galenũ in hiſtoria ſua
autor eſt, ueteres philoſophos circa
phyſiologian eſſe uerſatos. Philoſo-
phiæ enim eorum finis erat, poſſe φυ-
σιολογεῖν, hoc eſt de natura, adeoq; na
turę rebus uerba facere, tantiſper dũ
Socrates introduceret Ethicen, qui
oraculo etiam Delphico ſapientiſsi-
mus iudicatus, qualia docuerit Pla-
to ſatis ſuperq; memoriæ prodidit.
Ex his ergo animaduertere licet, nõ
eſſe uilem diſciplinam, in quam uete
res tantopere incubuerint ſummi &
ſapientiſsimi uiri. Et quanquam So-
crates quadantenus τὴν φυσιολογίαν,
per Ethicen ſuam debilitarit, ut non
adeò in precio fuerit, per Ariſtote-
lem tamen, ſummum philoſophum,
ut interim Parmenidis, Meliſsi, Em
pedoclis, Anaxagoræ, & aliorum
haud parum multorum, nullam e-
quidem mentionem faciam: eſt in-
ſtaurata, reſuſcitataq;. Etiam ſi So-
crates, quum uirtutem, & bonos

mores docuit, propterea certe, naturę arcana haudquaquã contempſiſſe iudicandus eſt. Quum is qui rectè ad naturæ cognitionem peruenerit, ultro etiam Ethicen adducat, ceu ornamentum quoddam præclarum ac longe pulcherrimum. Nec perinde mirum uideri cuipiam debet, uetuſtiores philoſophos plurimum circa φυσιολογίαν elaboraſſe: à primo enim parente, imò à patre luminum indita eſt & inſita cupiditas, & ardor ad cognoſcendas res, earumque principia & cauſas, poſtquam, ut Moſes tradit, Adamus etiam naturalis philoſophus extiterit. Nonne ergo iſta ſcientia omnium antiquiſsima cenſebitur iure, quæ à condito ſimul mundo ortum ſuum duxit? Nonne uetuſtiſsima eſt exiſtimanda, quæ cum prima humani generis ſtirpe, fonte, & propagatore Adamo ſimul eſt cõdita & creata, quam ipſe poſsidere ſeſe teſtatus eſt? At ne quis me uanũ cogitet, qui naturalis philoſophiæ ortum à prima omnium totiusuniuer

uerſi machinæ origine repetam: au-
diamus quid Moſes, uates diuinus,
dux Iſraëlitici populi, naturæ etiam
haud poſtremus antiſtes & philoſo-
phus dicat: Et formauit Dominus
deus ex terra omne animãs agri, om
nemq́ alitẽ cœli, adduxitq́ ad Ada-
mũ ut uideret, quo nomine uocaret
ea. Porrò quicquid animæ uiuentis,
uocauit Adamus, iſtuc, nimirũ quo
uocabat, erat nomẽ eius. Et uocauit
Adamus nomina om̃is animalis, ali-
tisq́ cœli, adeoq́ uniuerſæ beluæ a-
gri. En q̧d mirabilius ab Adamo fie
ri potuit, quid ſapientius, dq̧ φυσιολο-
γικώτερον? Adã recens conditus eſt in
paradiſo, ab deo patre, & creatore
cunctarũ rerum ac totius naturæ pa
rẽte. Omnia preterea animãtia, quæ
ſuper terrã ingrediuntur, & in æthe
re mouentur, primum etiam forma-
ta erant. Atq́ illis omnibus nomina
imponit, ſuo quodq́ uocabulo appel
lat Adã, quod profectò facere nõ po
tuiſſet, niſi naturam eorum nouiſſet,
uel illa ipſa ſimpliciter diſcreuiſſet.

Nonne hic naturalē prorſus philoſo phum et naturæ ſacerdotē egit Adamus? Nemo, ut opinor, inficias ibit. Ecquis quæſo tantā rerū naturæ cognitionem Adamo inſpirauit? Qui Adamo ſanè τὴν ὀσίαν, corpus et animā cōmunicauit, is huiuſmodi etiam diuina planè naturaliū rerū cognitione eundē exornauit, Deus, naturæ uniuerſæ cōditor. Nos certe Adami poſteri, nihil poſſumus definire uel iudicare de re uel animali, cuius idea iā antea menti noſtræ impreſſa non fuerit. Quis enim turturē uel perdicem aliquam agnouerit, niſi ideam iam antea generalem menti ſuæ impreſſā habuerit? uerū enim eſt, quod philoſophus ait, quod ab uniuerſa ſeu cōmuni cognitione formę, quam ex minus communibus, uel ab indiuiduis uel ſingularibus (ut cum dialecticis hic loquamur) antea deſumpſimus, iudicemus animans, ut primū ſeſe obtutui noſtro dederit, eſſe iſtbuc, uel illud. Adamo autē diuinior mens, puriusq́ iudiciū fuit, quū crea

tori

tori ſuo uicinior eſſet. A quo citra intermedians huiuſmodi rerũ naturæ cognitionem infuſam & inſpiratam retinuit. Porrò qui cũctas beluas cõdidit in uſum mortalium, hominem uero ad cognitionem & gloriã Dei, noluit eſſe alienum eundem ab indagatione eſſentiæ et naturę animaliũ, in quæ illi dominatum contulit & liberaliſsime benigniſsimus pater impertijt, elargitusq́ eſt, plurimũ itaq́ laudis ac præconij meretur φυσιολογία, ob eiuſmodi uetuſtatem, qua cunctas artes ac diſciplinas, humani etiã generis propagationem præceſsit, priuſquam enim Haua, prima generis humani mater, & ſponſa & ſocia Adami, ex coſta Adami formaretur phyſice, ut paulò ante demonſtratũ, in Adamo ſeſe exeruit, quæ poſthac apud Perſarum & Aegyptiorũ monarchias reuixit, ac tandẽ apud Græcos omnium ingenuarum artium & philoſophiæ cùm altores, tũ autores, candide tractata, mortalibuſq́ communicata eſt. Ex Græcia deniq́, ali-

quanta ſui parte in Latium etiã pro-
fecta eſt. De priſca phyſiologię ergo
origine, quæ hactenus adduxi, ſatis
ſint,ad præſtantiam et dignitatẽ iam
non ita multis et prolixis argumẽtis
accingemur. Vos quęſo philoſophię
candidati, auribus & animis ueſtris
præſto ſitis, Et in ea, qua cœpiſtis be
neuola auſcultatione perſeueritis.
Quanq; autem ex diuino ortu, quẽ
percenſuimus,ſatis effulgeat præcla
rę artis,preſtantia,dignitas et ampli
tudo, Qui enim non ſit honore ſum-
mo,et ingenti laude digna,quæ Deũ
autorem, Adamum primum paren-
tem demonſtratorẽ,uetuſiſsimas gẽ-
tes inſtauratrices habeat? tribus ta-
men(quod aiũt)uerbis eius præſtan
tiam oculis et animis ueſtris ſubijcie-
mus.Primũ autem hic finem conſide
rare phyſiologiæ, operæpretiũ fue-
rit,qui ſi erit theoreſis, ob eam certe
cauſam honoratior atq; præſtantior
erit. Etenim eam ſcientiã ſolent phi-
loſophi & eruditi homines præſtan-
tiorem iudicare,quę nõ in praxi uel
opera-

operatione, ſed contemplatione conſiſtit rerum, cuius item finis eſt ſcire ac nouiſſe, non operari aut facere. Nonne autem phyſice, quæ de principijs rerum, de cauſis, tẽpore, motu, uacuo et infinito, ut alias interim ſpecies prætermittã ſupra connumeratas: agit, nihil aliud efficit, ꝗ quod mẽtes noſtras & admiratione et contemplatione rerũ imbuit? Nec enim, ut opinor, domum extruere, aut calceum ſuere, uel agrũ colere, ex phyſica auſcultatione, imò ex tota phyſiologia quiſꝗ diſcet. Facit ad hæc, quod totius philoſophiæ princeps Ariſtoteles, Phyſices, Mathemathices, ac Theologices finẽ eſſe dicat theoreſin. Deſinant ergo adſpernari nonnulli eam ſcientiã, deſinant odiſſe, quam ipſi uel non intelligunt, uel nõ didicerũt. Auari homines et quæſtui dediti aurum, argentũ, ædificia & agros demirãtur, Epicurus et Philoxenus in ſola uoluptate, uentriſꝗ ſui ingluuiæ hærent, libidinibus & cupiditatibus tetris inſeruientes,

At

At phyſiologiæ iniciatus, intuetur & inquirit arcana naturæ, magni faciens, ac ſũma trepidatiõe uenerans, tot, talium, tantarũmq; rerum conditorem. Quocirca non iniuria, candidum & minime impurum ingeniũ, phyſices ſcientiã, auro, argento, gemmis adeoq; terræ huius theſauris anteponet. Quid? q; huius mundi opus occaſionẽ tibi præbeãt, cur efferaris cur etiã ad uitia ſis propẽſior, cur cõtumatior, unde haud citra cauſã Pindarus πλοῦτον μεγάνορα nominat, quũ inquit, ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. Contumatiorem & efferatiorem opes hominẽ faciunt. Hæc uero, de qua nũc agimus, ſcientia, ad cognitionem naturæ tuæ te ducens, criſtas tibi adimit, ac ad ſupernarum rerum admirationem potius et amorem ducit: quum enim naturæ ſuæ alterationem & miſeriã agnoſcit homo, cœleſtẽ ad perdurationem et felicitatem, quũr anhelet: anſam adipiſcitur. Quid? quod diuitiarum inſta

bilis

bilis & incerta poſſeſſio, Sapiẽtia au tem, qua per phyſicen imbueris, mor ti haud ſit obnoxium bonum? Legatos regũ & principum, quia exteras terras et inſulas adeunt, uaria experi untur, præſtantes et eximios uiros ſalutamus, qui phyſices cognitione clareant, nullo numero dignos arbi/trabimur? Atqui philoſophus, nedũ terram & inſulas, uerum Oceanum ipſum & aërem & æthera perme/at, terrę uiſcera et abyſſos perluſtrat, Deum ipſum adit, diuinam ac tremẽdam eius eſſentiam contemplans, e/ius mirifica opera & res denunciãs, fungens certe conditoris naturæ le/gatione. Et interim uiliorem legatis principum phyſiologon reputabi/mus? At norint ſuperbi artium con/temptores, pluris fieri apud æquos iudices debere, uel Tribone amictũ phyſices amatorem, quàm purpura/tum aliquem auarum legiſperitum, uel amuſum negociatorẽ. Hic enim auariciæ & uanitatis eſt amator, iſte uero noſter ueritatis eſt indagator.

Quis

Quis ergo τὴν φυσικὴν præſtantiſſimam eſſe non fatebitur? hæc de præſtantia eius paucis, plura enim epicheremata lubẽs prætermitto, quod cuiuſuis cognationi, ex præcedentibus plura ſuccurrant ſuapte ſponte. Nam breuitati ſtudẽs dedita opera, ad tertium, quod promiſi caput transeo, ad uſum uidelicet & commoditatem. Si uniuerſam phyſicen hic animo noſtro expendamus, aperit ſe ingens certe aceruus uſus & emolumenti. Primum enim ſi partes ordine contemplemur, Nonne ſcientia de primis principijs, ad naturalium rerum fontem inquirendum allicit & inuitat? cauſis enim motu & tempore perceptis, non quieſcit ſanè humana mens, quæ nunquam non eſt alacris & peruigil omnino in diſquiſitione rerum ſublimium & abſtruſarum, uerum peruenit ad principium principiorum Deum, à finito, ad infinitum, Deum, à mobili ad immobile & ſempiternum conſcendit Deum. Præterea hæc περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως

σικῶς diſciplina, uiam ſternit ad ſequentia maiora, nimirum ad libros de cœlo, de generatione & corruptione, cunctóſque alios phyſiologiã tractantes. Quæ profectò haud exigua eſt cõmoditas. Quod ſi naturæ hæc primordia egreſſi perueniamus ad mare, ad aëra, ad æthera; dij boni, quàm mirifica naturæ opera ſeſe oſtendunt? ut humana mens non ſatis demirari, aut comprehendere poſſit, tremendam Dei maieſtatem, atque in creaturis prouidentiã. Quod ſi nulla foret apud nos de Deo ſcientia, ſi nullus metus numinis, quę quotidie uidemus in uiciſſitudinibus temporum, noctis, diei, anni partiũ, ueris, æſtatis, autumni, hyemis, tum quæ in æthere fiunt choruſcationes, fulgetra, tonitrua, nubes, niues, grandines, imbres, deliquia quum ſolis tũ lunæ, admonere nos poterãt æternæ ſapientiæ Dei, quæ pulcherrimã iſtã mũdi & naturæ machinã & motum omniũ rerũ primũ condidiſſet,

inq;

inq́ꝫ dies ſingulos creet, faciat, cōdat.
Si quis te in cœlum trāsferat, ut iſtic
magna animi tui alacritate ſuauiſsi-
mam cœleſtium corporum harmo/
niam uideas, atq́ꝫ ortum & obitum
ſiderum & planetarum cernas, ac te
poſtea terris illęſum reſtituat, nónne
eum tibi plurimū prodeſſe diceres?
Omnino, niſi fallar, hoc fateberis.
Nam te cœleſtium motuū, orbium,
& ſiderum certum facit, ac ueluti cœ
leſtium myſteriorum efficit conſor-
tem. Atqui illud ipſum præſtat pro/
fecto tibi Phyſice. Per Aſtrologiam
enim te ducit in cœlum, Iouique te
adſeſſorem facit, ut ſublatus ad æ-
thera, altitudinem et magnitudinem
ſtellarum conſideres, ut terram, &
maria emetiaris, imò, ut cœleſtis ac
diuinæ naturæ ueluti particeps, te-
ſteris te ex æthere adeoq́ꝫ cœlo ſpiri-
tum hauſiſſe, qui ſuum, per phyſiolo
gian hanc, inſignem ſcientiam, prin-
cipium, unde deſumptus uel demiſ-
ſus ſit in terreum corpus, repetat ac
requirat. Ex elegantiſſima porrò
mundi

mundi fabrica, ſempiterni artificis et creatoris uniuerſorum, pulchritudinem & maieſtatem deprehendimus: quod ut faciamus, aſtra, cœlum, & ſublimiã, quæ conſideramus, nos cõmonefaciunt: perinde ac Apoſtolus etiã ad Ro. 1 inquit, Inuiſibilia ipſius, à creatura mundi, ex operibus intellecta conſpiciuntur, ſempiterna eius potentia atque diuinitas. Qui enim mentis compos eſt, etiamſi nullum Deum norit, ſecum cogitare poteſt, nullum principem terrarum uel regem, uel heroa, mundi uel uniuerſi, adeoq; immortalis operis eſſe autorem poſſe. Præſtat ergo phyſice tibi ſtudioſa iuuẽtus, ut ueluti pennatus, inſtar alitis in ſublime raptus, diuina opera & naturæ myſteria tecum reputes. Nonne ea eſt egregia cõmoditas, qua nihil propemodum, ſi humana aſpectes, maius eſſe poſſit. Quid? quod eò phyſices beneficio peruenias, ut poſſis ex horoſcopo, uitæ tuæ curſum, fortunã, calamitates & obitus genus tandem generatim præno

uiſſe?atq; iſthuc non ſuperſtitione ali
qua, uel ſtultis obſeruationibus, uel
ſpiritus Apollinei, uel ſacerdotis Py
thiæ oraculo, ſed eṁ ex ipſis naturæ
rationibus, euidẽtibusq; ſignis? Por
rò ſi te ad Iatricen et Anotomicen re
cipias, herbarũ, plantarũ, animaliũ,
gemmarũ, liquorum, metallorũ ter-
rarum quarundam, atq; adeo ſimpli
ciũ, ut uocãt medici, uires, naturam,
potentiã conſideraturus, Deum im-
mortalẽ, quantus theſaurus tibi ſeſe
offert? quod ſi per Anatomicen, quæ
in microcoſmo, in ipſo nimirum ho
mine ſint recondita, perſpicias, collu
ſtres, rectiore tecum uia reputes, ue-
nas, arterias, hepar, cor, pulmões, ſto
machũ, gracilia & craſſa interanea,
renes, cerebrũ, cerebellum, uermicu/
los eiuſdẽ, cum ſyzygijs neruorum,
cum dura et pia matre, ut pleraq; alia
prætermittã (Nam Iatrice & Anato
mice, ſunt ipſiſsimæ phyſices partes,
eaq; abſolutiſsimæ) nónne tantũ in-
de fructus acquiris, ut maiorẽ haud
poſsis? Hinc eṁ diſcis, quo pacto af-
fectum

fectum corpus tuum iuuare debeas, quibus pharmacis præcauere poſsis uerno, æſtiuo, autumnali, uel brumę temporibus, ne in letalẽ, uel naturæ tuæ intollerabilem ægritudinẽ incidas, profectò, quocunque te uertas, quancunq; animantis partẽ intuearis, maxime uerò in homine, nihil aliud atq; potentiã & mirabilia & magnifica dei cùm conſilia tũ opera inuenis, aſpicis, conſyderas. Eat ergo quiſquam & contemnat hanc pręclariſsimam philoſophiæ partem, citra quã neq; ullæ diſciplinæ recte habebunt, citra quam ignoras belua ne ſis an homo, citra quam haud ſatis ſcio, an quiſquã eruditus eſſe uideri poſſit. Ingentes præſtantiſsimæ phyſiologiæ commoditates, ut opinor equidem in medium deprompſi. Non eſt tamen me clàm, haud defuturos, qui uel ex ipſius Ariſtotelis uerbis, phyſicæ auſcultationis libros ſint calumniaturi. Extat enim epiſtola Ariſtotelis ad Alexandrum Macedonem, quam Gellius ſuis rapſodijs inſeruit.

mores docuit, propterea certe, naturę arcana haudquaquã contempſiſſe iudicandus eſt. Quum is qui rectè ad naturæ cognitionem peruenerit, ultro etiam Ethicen adducat, ceu ornamentum quoddam præclarum ac longe pulcherrimum. Nec perinde mirum uideri cuipiam debet, uetuſtiores philoſophos plurimum circa φυσιολογίαν elaboraſſe: à primo enim parente, imò à patre luminum indita eſt & inſita cupiditas, & ardor ad cognoſcendas res, earumque principia & cauſas, poſtquam, ut Moſes tradit, Adamus etiam naturalis philoſophus extiterit. Nonne ergo iſta ſcientia omnium antiquiſsima cenſebitur iure, quæ à condito ſimul mundo ortum ſuum duxit? Nonne uetuſtiſsima eſt exiſtimanda, quæ cum prima humani generis ſtirpe, fonte, & propagatore Adamo ſimul eſt cõdita & creata, quam ipſe poſsidere ſeſe teſtatus eſt? At ne quis me uanũ cogitet, qui naturalis philoſophiæ ortum à prima omnium totius uniuer

uerſi machinæ origine repetam: au/
diamus quid Moſes, uates diuinus,
dux Iſraëlitici populi, naturæ etiam
haud poſtremus antiſtes & philoſo-
phus dicat: Et formauit Dominus
deus ex terra omne animãs agri, om
nemq; alitẽ cœli, adduxitq; ad Ada-
mũ ut uideret, quo nomine uocaret
ea. Porrò quicquid animæ uiuentis,
uocauit Adamus, iſtuc, nimirũ quo
uocabat, erat nomẽ eius. Et uocauit
Adamus nomina omĩs animalis, ali-
tisq; cœli, adeoq; uniuerſæ beluæ a-
gri. En qd mirabilius ab Adamo fie
ri potuit, quid ſapientius, dq φυσιολο/
γικώτερον? Adã recens conditus eſt in
paradiſo, ab deo patre, & creatore
cũctarũ rerum ac totius naturæ pa
rẽte. Omnia pręterea animãtia, quæ
ſuper terrã ingrediuntur, & in æthe
re mouentur, primum etiam forma-
ta erant. Atq; illis omnibus nomina
imponit, ſuo quodq; uocabulo appel
lat Adã, quod profecto facere nõ po
tuiſſet, niſi naturam eorum nõuiſſet,
uel illa ipſa ſimpliciter diſcreuiſſet.
z 4 Nónne

Nonne hic naturalē prorſus philoſophum et naturæ ſacerdotē egit Adamus? Nemo, ut opinor, inficias ibit. Ecquis quæſo tantā rerū naturæ cognitionem Adamo inſpirauit? Qui Adamo ſanè τὴν οὐσίαν, corpus et animā cōmunicauit, is huiuſmodi etiam diuina planè naturaliū rerū cognitione eundē exornauit, Deus, naturæ uniuerſæ cōditor. Nos certe Adami poſteri, nihil poſſumus definire uel iudicare de re uel animali, cuius idea iā antea menti noſtræ impreſſa non fuerit. Quis enim turturē uel perdicem aliquam agnouerit, niſi ideam iam antea generalem menti ſuæ impreſſā habuerit? uerū enim eſt, quod philoſophus ait, quod ab uniuerſa ſeu cōmuni cognitione formę, quam ex minus communibus, uel ab indiuiduis uel ſingularibūs (ut cum dialecticis hic loquamur) antea deſumpſimus, iudicemus animans, ut primū ſeſe obtutui noſtro dederit, eſſe iſtbuc, uel illud. Adamo autē diuinior mens, puriusq́; iudiciū fuit, quū creatori

tori ſuo uicinior eſſet. A quo citra in termedians huiuſmodi rerũ naturæ cognitionem infuſam & inſpiratam retinuit. Porro qui cũctas beluas cõdidit in uſum mortalium, hominem uero ad cognitionem & gloriã Dei, noluit eſſe alienum eundem ab indagatione eſſentiæ et naturę animaliũ, in quæ illi dominatum contulit & liberaliſsime benigniſsimus pater impertijt, elargitusq́ eſt, plurimũ itaq; laudis ac præconij meretur φυσιολογία, ob eiuſmodi uetuſtatem, qua cunctas artes ac diſciplinas, humani etiã generis propagationem præceſsit, priuſquam enim Haua, prima generis humani mater, & ſponſa & ſocia Adami, ex coſta Adami formaretur phyſice, ut paulò ante demonſtratũ, in Adamo ſeſe exeruit, quæ poſthac apud Perſarum & Aegyptiorũ monarchias reuixit, ac tandẽ apud Græcos omnium ingenuarum artium & philoſophiæ cùm altores, tũ autores, candide tractata, mortalibusq́ communicata eſt. Ex Græcia deniq;, ali-

quanta ſui parte in Latium etiã profecta eſt. De priſca phyſiologię ergo origine, quæ hactenus adduxi, ſatis ſint, ad præſtantiam et dignitatẽ iam non ita multis et prolixis argumẽtis accingemur. Vos quęſo philoſophię canditati, auribus & animis ueſtris præſto ſitis, Et in ea, qua cœpiſtis beneuola auſcultatione perſeueritis. Quanq́ autem ex diuino ortu, quẽ percenſuimus, ſatis effulgeat præclarę artis, preſtantia, dignitas et amplitudo, Qui enim non ſit honore ſummo, et ingenti laude digna, quæ Deũ autorem, Adamum primum parentem demonſtratorẽ, uetuſiſsimas gẽtes inſtauratrices habeat? tribus tamen (quod aiũt) uerbis eius præſtantiam oculis et animis ueſtris ſubijciemus. Primũ autem hic finem conſiderare phyſiologiæ, operæpretiũ fuerit, qui ſi erit theoreſis, ob eam certe cauſam honoratior atq; præſtantior erit. Etenim eam ſcientiã ſolent philoſophi & eruditi homines præſtantiorem iudicare, quę nõ in praxi uel

opera-

operatione, ſed contemplatione con ſiſtit rerum, cuius item finis eſt ſcire ac nouiſſe, non operari aut facere. Nonne autem phyſice, quæ de principijs rerum, de cauſis, tẽpore, motu, uacuo et infinito, ut alias interim ſpecies prætermittã ſupra connumeratas: agit, nihil aliud efficit, quàm quod mẽtes noſtras & admiratione et contemplatione rerũ imbuit? Nec enim, ut opinor, domum extruere, aut calceum ſuere, uel agrũ colere, ex phyſica auſcultatione, imò ex tota phyſiologia quiſquam diſcet. Facit ad hæc, quod totius philoſophiæ princeps Ariſtoteles, Phyſices, Mathematices, ac Theologices finẽ eſſe dicat theoreſin. Deſinant ergo adſpernari nonnulli eam ſcientiã, deſinant odiſſe, quam ipſi uel non intelligunt, uel nõ didicerũt. Auari homines et quæſtui dediti aurum, argentũ, ædificia & agros demirãtur, Epicurus et Philoxenus in ſola uoluptate, uentriſque ſui ingluuiæ hærent, libidinibus & cupiditatibus tetris inſeruientes,

bilis & incerta poſſeſſio, Sapiētia au
tem, qua per phyſicen imbueris, mor
ti haud ſit obnoxium bonum? Lega-
tos regū & principum, quia exteras
terras et inſulas adeunt, uaria experi
untur, præſtantes et eximios uiros
ſalutamus, qui phyſices cognitione
clareant, nullo numero dignos arbi/
trabimur? Atqui philoſophus, nedū
terram & inſulas, uerum Oceanum
ipſum & aërem & æthera perme/
at, terrę uiſcera et abyſſos perluſtrat,
Deum ipſum adit, diuinam ac tremē
dam eius eſſentiam contemplans, e-
ius mirifica opera & res denunciās,
fungens certe conditoris naturæ le/
gatione. Et interim uiliorem legatis
principum phyſiologon reputabi-
mus? At norint ſuperbi artium con-
temptores, pluris fieri apud æquos
iudices debere, uel Tribone amictū
phyſices amatorem, quàm purpura/
tum aliquem auarum legiſperitum,
uel amuſum negociatorē. Hic enim
auariciæ & uanitatis eſt amator, iſte
uero noſter ueritatis eſt indagator.
Quis

σεως diſciplina, uiam ſternit ad ſe-
quentia maiora, nimirum ad libros
de cœlo, de generatione & corrup-
tione, cunctóſque alios phyſiologiā
tractantes. Quæ profectò haud exi-
gua eſt cōmoditas. Quod ſi naturæ
hæc primordia egreſſi perueniamus
ad mare, ad aëra, ad æthera: dij boni,
quàm mirifica naturæ opera ſeſe o-
ſtendunt? ut humana mens non ſa-
tis demirari, aut comprehendere poſ
ſit, tremendam Dei maieſtatem, at-
que in creaturis prouidentiā. Quod
ſi nulla foret apud nos de Deo ſcien-
tia, ſi nullus metus numinis, quę quo
tidie uidemus in uiciſſitudinibus
temporum, noctis, diei, anni partiū,
ueris, æſtatis, autumni, hyemis, tum
quæ in æthere fiunt choruſcationes,
fulgetra, tonitrua, nubes, niues, gran
dines, imbres, deliquia quum ſolis
tū lunæ, admonere nos poterāt æter
næ ſapientiæ Dei, quæ pulcherrimā
iſtā mūdi, & naturæ machinā & mo
tum omniū rerū primū condidiſſet,
inq;

mundi fabrica, ſempiterni artificis et creatoris uniuerſorum, pulchritudi nem & maieſtatem deprehendimus: quod ut faciamus, aſtra, cœlum, & ſublimiã, quæ conſideramus, nos cõmonefaciunt: perinde ac Apoſtolus etiã ad Ro. 1 inquit, Inuiſibilia ipſius, à creatura mundi, ex operibus intellecta conſpiciuntur, ſempiterna eius potentia atque diuinitas. Qui enim mentis compos eſt, etiamſi nullum Deum norit, ſecum cogitare poteſt, nullum principem terrarum uel regem, uel heroa, mundi uel uniuerſi, adeóq; immortalis operis eſſe autorem poſſe. Præſtat ergo phyſice tibi ſtudioſa iuuẽtus, ut ueluti pennatus, inſtar alitis in ſublime raptus, diuina opera & naturæ myſteria tecum reputes. Nonne ea eſt egregia cõmoditas, qua nihil propemodum, ſi huma na aſpectes, maius eſſe poſſit. Quid? quod eò phyſices beneficio peruenias, ut poſſis ex horoſcopo, uitæ tuæ curſum, fortunã, calamitates & obitus genus tandem generatim præno

uiſſe? atq; iſthuc non ſuperſtitione ali qua, uel ſtultis obſeruationibus, uel ſpiritus Apollinei, uel ſacerdotis Py thiæ oraculo, ſed eni ex ipſis naturæ rationibus, euidētibusq; ſignis? Por rò ſi te ad Iatricen et Anotomicen re cipias, herbarū, plantarū, animaliū, gemmarū, liquorum, metallorū ter‑ rarum quarundam, atq; adeo ſimpli ciū, ut uocāt medici, uires, naturam, potentiā conſideraturus, Deum im‑ mortalē, quantus theſaurus tibi ſeſe offert? quod ſi per Anatomicen, quæ in microcoſmo, in ipſo nimirum ho mine ſint recondita, perſpicias, collu ſtres, rectiore tecum uia reputes, ue‑ nas, arterias, hepar, cor, pulmões, ſto machū, gracilia & craſſa interanea, renes, cerebrū, cerebellum, uermicu‑ los eiuſdē, cum ſyzygijs neruorum, cum dura et pia matre, ut pleraq; alia prætermittā (Nam Iatrice & Anato mice, ſunt ipſiſsimæ phyſices partes, eæq; abſolutiſsimæ) nónne tantū in‑ de fructus acquiris, ut maiorē haud poſsis? Hinc eni diſcis, quo pacto af‑ fectum

fectum corpus tuum iuuare debeas, quibus pharmacis præcauere poſsis uerno, æſtiuo, autumnali, uel brumę temporibus, ne in letalē, uel naturæ tuæ intollerabilem ægritudinē incidas, profectò, quocunque te uertas, quancunqꝫ animantis partē intuearis, maxime uerò in homine, nihil aliud atqꝫ potentiā & mirabilia & magnifica dei cum conſilia tū opera inuenis, aſpicis, conſyderas. Eat ergo quiſquam & contemnat hanc pręclariſsimam philoſophiæ partem, citra quā neqꝫ ullæ diſciplinæ recte habebunt, citra quam ignoras belua ne ſis an homo, citra quam haud ſatis ſcio, an quiſquā eruditus eſſe uideri poſſit. Ingentes præſtantiſsimæ phyſiologiæ commoditates, ut opinor equidem in medium deprompſi. Non eſt tamen me clàm, haud defuturos, qui uel ex ipſius Ariſtotelis uerbis, phyſicæ auſcultationis libros ſint calumniaturi. Extat enim epiſtola Ariſtotelis ad Alexandrum Macedonem, quam Gellius ſuis rapſodijs inſeruit.

Ἔγραψάς μοι περὶ τῶν ἀκροαματικῶν λόγων, οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάττειν ἐν ἀποῤῥήτοις, ἴσθι οὖν αὐτοὺς ἐκδεδομένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούουσιν. ἔῤῥωσο. Hiſce literis teſtatur Ariſtoteles phyſicæ auſcultatiōis libros, ab ijs tātum intelligi poſſe, qui ſe audiuerint. Proinde quum nemo poſterorum Ariſtotelē uiuentem ac docentē audiuerit, quî obſecro quiſquam intelliget? Is nouerit, quiſquis hac philoſophi epiſtola, metu quodā perculſus, ac difficultate eius ſcientię perterrefactus ab ea pedem retrahit, temporis habendum reſpectū. Nam quum Ariſtoteles eos libros ſcriberet, proculdubio à paucis tum temporis intelligebantur, niſi ab eius diſcipulis. Sic hodieq́ ſi quis primum poſt grammatices præcepta, in hanc de principijs naturæ diſputationem inciderit, næ ille parum, citra præceptoris operam aſſequetur, ſi in ſolo philoſopho hæreat. Maximè ſi expers ſit dialectices, & philoſophiæ totius uacuus. Hodie uerò, quum græ-

cæ

cæ linguæ beneficio audiamus Ariſtotelem ipſum, ſua etiam lingua loquentẽ, nõ eſt ambigendũ, nos cum aliquo fructu eos libros & lecturos, & auditu ros. Deinde qui in eius monumentis uerſatur ſedulo, & cum eo colloquitur, nónne eum audit? Habuit ſemp ſtudioſos ſui philoſophus, hinc tanta doctiſsimorum in eum interpretum commentaria, quorũ opera, qui uelit, adiutari poteſt. Olim, quum uerſus eſſet, ut ab nemine intelligeretur, profectò haud potuit cum fructu in eo quiſquam uerſari: noſtris uero temporibus, quibus linguarum dona communicata ſunt diuinitus mortalibus, nõ eſt quod metuat quiſquam ea ſe non aſſecuturũ, quę περὶ ἀρχῶν Ariſtoteles tradit. Barbara ſæcula multum operæ in hunc philoſophum impendebant, quẽ genuinum habere non poterant, & aliquid certe reportabant cõmodi. Noſtra uero iuuentus, quum poſsit optimorum præceptorum beneficio hodie plurimum aſſequi, torpet, hiat,

ignaua eſt,ac planè ſibi commoda ne gligit. Alij ſunt qui ethicen præferãt phyſicæ, eam longe præſtantiſsimã ſcientiam iudicantes, quæ mores for met,ciuitates ac gentes cõſeruet. Hic non inficiamur,inquam,ethicen eſſe commodiſsimam diſciplinam, neq; adeo ſumus dementes,ut ethicen reij ciamus,uerũ enim phyſicen dicimus ueluti ethices eſſe cauſam et matrem. Quia enim phyſiologus principia, cauſas rerũ ſcrutatur, & æthera ſcan dit,obſtupeſcit pulchritudine admi-randa,& contremiſcit tanta conſiderata maieſtate,ac ſtatuit aſtrorum & operis huius omnium præclariſsimi Deũ colendũ & adorandũ,cùm precibus,tũ uotis & ſacro. Hacq; ratiõe ex phyſico in ethicũ tranſit. Rurſus animaduertens ex naturæ contemplatione, ex luxu & ſuperfluitate cibi & potus,adeoq; crapula uarios oriri enaſciq; morbos,legem ſancit de temperãtia, ex phyſica in ethicã hoc pacto tranſiens. Idem fit in reliquis legibus ciuilibus. Animaduertens enim

enim phyſices amator naturam per/ditis moribus mortaliũ, furto, adul/terio,homicidio,circũuentione pro-ximi,perdi & ad nihilũ redigi,ſancit leges de puniendis humanæ ſocieta-tis & trãquillitatis turbatoribus,uio latoribusq́;,generans hac ratione ex phyſice ethicen. Hoc pacto & theo-logia gentium ex phyſica perſpicien tia ueri exorta eſt. Eſt ergo præſtan/tiſsima certe philoſophiæ pars phyſi ce. Damus etiam ethicen, qua iuris prudentia etiã continetur eſſe præ/clariſsimam in ſuo genere. Verum phyſica,ratione finis theoretici,ut ſu prà commemoratũ, eſt honoratior & præſtantior. Enimuero utraq; eſt præclariſsima ſciẽtia et ethice & phy ſice. Tametſi reperiantur inter nomi cos clari uiri,qui gloriari etiã auſint ſe nunquã quid phyſice ſit audiuiſſe, neque ſe unquam huiuſmodi nugas amplexos eſſe, uel didiciſſe. Nugas ſcilicet uocant, matrem ſuæ ethices, ſe igitur filios & nepotes nugarũ tur piter traducunt. At enim non ope/

roſam certe gloriam inde reportant, quandoquidē ingnorantiam ſuam palam ita prodant. Et quoniam ſunt ignari phyſiologias, præclariſſimæ ſcientiæ, eam ob cauſam certe cùm oderunt, tum contemnunt illam ipſam. Philoſophiæ partes hanc ad rationem inter ſe connexæ collegateq; ſunt, ut nō debeant earum ſectatores, diſſenſionibus, & irarum æſtu fluctuare. Iā ut uniuerſa philoſophia & omnes ingenuæ diſciplinæ inter ſeſe concathenatæ ſunt, & altera alteri inſeruit, hūc admodum ſtudioſos & philoſophiæ et uniuerſæ Encyclopædiæ amatores inter ſe caritatis nexu coniunctos, adeoq; fratres eſſe decet. Grāmatica inſeruit Rhetoricæ ac Dialectice, adeoq; uniuerſę Philoſophię. Rhetorice itē et Dialectice, inſeruiunt ſibi mutuo, atque ipſam etiā Grammaticen adiuuāt. Muſica oblectat omnes alias artes, Phyſicæ ancillatur Ethice, Ethice ē diuerſo Phyſiologiæ. Quur ergo nobiliſſimarum ſcientiarū huiuſmodi alumni

ni item non ſunt inter ſeſe fratres, ac mutuo ſeſe auxilio iuuãt? Si qua difficultas in Ariſtotele cuipiam eſſe uideatur, inde eſt, quòd philoſopię eius iſte, quiſquis eſt, non fuerit addictus, neque in tanto philoſopho crebrius uerſatus. Alioqui ſi ſe exercitauerit ſæpius, ac phraſi eius adſuefactus fuerit, breui euincet, quam ferebatur, difficultatem: facile enim quæ dura & aſpera uidebantur, conſuetudine tollerabilia efficiuntur, ut Grecorũ eſt ſententia, πόνος συνεχὴς, ἐλαφρότερος ἑαυτοῦ τῇ συνηθείᾳ γίνεται. Conſuetudo enim, quæ grauia ſunt, leuia reddere poteſt, ut anus illa Phauorini apud Stobeum teſtatur. Ea nanq; paruum uitulum geſtans, primum ut fit, defatigabatur, enimuero, quũ quotidie deinceps ferret, ne ferre quidem ſeſe animaduertit. Adeò omnia labori, exercitationi ac ſedulitati ſubijciuntur & parent, iuxta Antiphanis inſigne dictum. Quòd ſi philoſophiæ animum diligentem adhibueris ſtudioſa iuuentus, primum duri-

uſcula & inſueta diſputatio uidebitur, ſed nõ poſt multos perinde dies, omnia tibi magis arridebunt. Inſuper ea ratione philoſophiæ incũbes, ut ex naturalium rerum uel diſquiſitione, diſcas uereri & amare naturæ autorem Deum. Chriſtianorũ enim eſt, ut omnia ad gloriam Chriſti filij Dei referant, & in omnibus diſciplinis eum ſibi ſtudiorum ſuorum ſcopum faciant, ſic futurũ eſt, ut omnia, & facilia & commoda ſint euentura. Qui uerò ex literis et philoſophia nihil præter uanam gloriolã, et famam quærunt, eos ſuæ uanitati, ut à Chriſto alieniſsimos, relinqui par eſt. De phyſiologia nobiliſsima longè philoſophiæ parte, quæ promiſi ad umbilicum perduxi: quo modo ab condito ſimul mundo cœperit, ac per antiquiſsimas gẽtes ſit inſtaurata & propagata, quãta dignitate polleat, quãtum etiam commoditatis Reipublicæ adferat, in medium protulimus. Ipſa philoſophia certò coràm, præbet uobis manus, ad ſeſe uos allicit,

pertrahit,

pertrahit,inuitat,pollicetur præmia & honores,ad quamcunq; uos partē eius conferatis,acclamat uos. Quod ſi neglexeritis honeſtiſsimam & pulcherrimam totius uniuerſi reginam, ſera uos pœnitētia ſequetur. Sin inuitationem eius admiſeritis, eiq; fueritis obſequuti, uberem ſtudiorum ueſtrorum fructum ſuo tempore metetis,qui neq; temporis edacitate deuorari poſsit, nec morbo deflореſcere, aut ſenio extingui.

FINIS.

ERRATA

ERRATA QVAE INTER RELE-
gendum, deprehenſa, ſic emendabis.

Pag. 5. uerſ. 9 inſcitia, et 19 cogitata. 16. 20. perfectæ, & 22 conſtringerentur. 25. 24. pueri. 32. 17. itinere ueniſſet. 49. 24. diſſenſio. 67. 25 miſereretur. 73. 24. finiri. 79. 2. neceſſariam, et 24, ſpe ctabilibus. 89. 18. corpore. 92. 23. obſtantes. 106. 5. ingenij. 107. 14. optimæ. 121. 15. puerilia. 128. 8. ſic lege, nobis ipſi effecimus, chariora multo nobis ſunt &c. 136. 1. ſapientia. 150. 18. officij. 157. 10. la befactatis. 172. 5. cæteris. 173. 2. uicini. 174. 3. re ſtituatur. 183. 17. fieri, & 25 agendum. 189. 6. iucunditatum. 190. 4. profectò. 196. 3. legerem pro copi, toto. 200. 19. e in fine dele. 207. 22 pulchritudinis. 211. 20. fluctum, potius luctum legendũ. 216. 6. efficienti. 222. 1. habere. 245. 4. ſuſcepta. 255. 24. Etenim. 259. 10. nimirum. 262. 9. cupiditate. 266. 25. cognatione. 273. 20. uoluptate. 294. 18. prudentiæ. 298. 13. librata. 309. 13. præeunte. 312. 25. neceſſarium. 331. 7. Theologis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX OMNIVM

EORVM, QVAE NOTATV
digna uiſa ſunt, locuples.

A

ACademia noua 4
Adoleſcentes Chriſtus ad ſui ſtudium inuitauit 230
Aeris alieni comitem eſſe miſeriam 31
Amicitia nihil præſtabilius in uita 16
Amicitiæ nuntium qui remittant 14
Amicitiæ dulcedine omnes tangi 13
Amicorum conſuetudo utilis 12
Anaxagoras impietatis damnatur ab Athenienſibus 74
Anaxagoræ dictum 65
Anaximenis ſomnium de rerum naturalium principio 77
In anima ratio noſcenda, pagina 284
Animæ officium 239
Apelles pictor 45
Arceſilas Polemonis auditor 72
Archelaus Socratis doctor 100
Archelaus Socratis præceptor in phyſicis 68
Ariſtippus Socratis diſcipulus 100
Ariſtippus princeps Cyrenaicæ ſectæ 100
Ariſtonis philoſophi tyrannis 138
Ariſtoxenus muſicus 45
Artē quāq; ſuū proprium habere nomen 44 et 45
Artes certis limitibus circumſcriptas 233

Ariſtonis

Aryſtonis indifferētia 113
Athenas qui euerterint pag. 138
Athenis plures prudētes quàm Lacedæmone 210
Athlantem Lybes laudibus ferunt 38
Aurum natiuū in anima poßidere 306

B

Balbi balbos,puerbiū 6
Baldaſſarus Caſtillioneus 326
Bellum dijs indicere 62
Bloſius Palladius 326
Bonum ſummum 113
Bonorum genera tria 112
Bruta quæ nobiſcum participent. 222

C

Caliphonis ſententia de uoluptate 112
Camillus Paleotus 327
Camillus Porcius 51
M. Catonis ſententia de philoſophis 102
Cæſar Gonzaga 326
Chaldæi in aſtronomia inſignes 39
Chilonis Lacedæmonij tria dicta 31
Cleombrotus Ambratiota 139
Cœleſtia contemplari preclarum. 43
Cognitio rerum duplex pag. 267
Conatus in pia cauſa ſemper laudandus 329
Conuiuium quid pulchrū reddat 12
De Corporis habitu & conſilijs ſimile 36
De corpore & propoſito mente ſimile 292
Corybantas numine percitos 153
Cynoſura. 39

D

Daedaleæ ſtatuæ 16
Democritum ſe oculis priuaſſe 70
Dialectica meretrix pag. 113

Dialectici

Dialectici taxantur 117
Dicearchi dictum de ſeptem Graciæ ſapientibus 30
Dicta abſurda etiam à quibuſdam defenſa 75
Dignitatis definitio 305
Dignitatem qui non curent 257
Dij monogrammi 76
Diodorus Peripat. 112
Ad Dionyſium tyrannũ philoſophorũ grex aduolaſſe. 134
Doctrina beate uiuẽdi unde ducta 1
Druidas apud Gallos philoſophiam docuiſſe 37
E
ELoquentia & ſapientia cognatæ res 155
Eloquentiæ parens Cic. 3
Empedoclis ingenium 69
Empedoclis mors 70
Epic. uoluptas qualis 111
Epicurũ omnia ſuis oculis indulgere 73
Eraſiſtratus medicus 43
Eratyli dictum in Heraclitum 70
Eretriaſi 113
Euangeliſta Mathæ. 327
Euclides Megarenſis 112
Eudoxus Aſtrologus 45
Eumolphum Athenis myſteria inſtituiſſe 42
Euripi & uulgi comparatio 177
F
FEdericus Freguſi 328
De fidibus lyræ, & de omnibus rebus 127
De fingendi arte & ſapientia ſimile 104
In finibus magna philoſophorũ diſceptatio 111
Fortitudo unde oriatur pag. 305
Fortitudinis deſcriptio pag. 101
Fortuna ſaxi inſtar globoſi 190
Fortunã non eſſe ſapientiæ dominam 202

Fortunæ

Fortunæ ſuæ quemq; ſibi fabrum eſſe. 200
F. Citarius. 10
Furari ingenuis adoleſcẽtibus Lacedæmone per miſſum 185

G

GArrulitate graui uiro nihil fœdius 97
Gigni nihil abſque cauſa pag. 217
Gygantum fabula. 62
Gymnoſophiſtas apud Gallos philoſophatos. pag. 37

H

HEliſabeta regina Vmbriæ. 325
Heracliti de rerum naturaliũ principio error pag 77
Heracliti dictum de mobilitate rerum omnium. pag. 70
Herculem Gerionis boues abegiſſe. 98
Herilli ſcientia. 113
Hieronymus Rhodius. pag. 112
Hipparchus aſtrologus. pag. 44.45
Homeri dicta pro decretis habenda. 30
Homerum fabris tribuere etiam ſapientiam pag. 30
Homo ex tribus naturis cohæret. 245
Hominis rectus uſus. 223
Horatij Coclitis factũ. 88

I

IAcobus Gallus. 9
Imperium in uolentibus facile. 294
Intemperans qui. 87
Italia bonarum artium parens. 6
Iudicia temporibus regi pag. 56
C. Iulij Cæſaris laus. 59
Iuſtum an natura ſit. 98

L

LAurentius Colaianus pag. 167

Lælius dictus ſapiens 59
Legis grauitas in qua re 101
Leon Sicyonioru͂ rex 23
Leontinus Gorgias 155
Linum Thebis myſteria tradidiſſe 42
Literarum initiu͂ à Phœnicibus 39
De lumine & ueritate ſimile 251
Lycurgus merito ſapiens exiſtimatus 30
Lyſiæ eloquentia 230
Lyſippus in fundēdo ære excellens 47

M

Magoru͂ ſapientia 40
Manu͂ ſub ferula 18
Marci Curtij pietas 89
Materiā ſine forma ulla Ariſtot. uoluit eſſe 77
Megarici philoſophi 113
Menedemus dialecticæ ſtudioſus 121
Menedemi acies mētis 113
Menedemi doctrina 122
Mens in corpore tanquā alter deus 298
Modeſtia qualis uirtus, pagina 160
Multitudinis incoſtans opinio 57
Muſæum deorum generationes tradidiſſe 42
Mutium Porſennæ caſtra ingreſſum 89

N

Natura coactum non laudabile 203
Natura triplex in homine pagina 257
Naturalium rerum principium 77
Naturas tres eſſe in mundo inferiore animantiu͂. pagina 235
Nauitas 106
Neoptolemi dictu͂ de philoſophia 26
Niceas Syracuſanus philoſophus 75
Nobilitas ex generis ſtirpe cenſenda. 36

De nobilitate & philoſophia ſimile 36
Nummus argenteus quando primo excuſus 187

O

Ochũ Phœnices ſapientiæ autorem habere pag. 39
Octauianus Freguſi 326
Oliuerius Carrapha pontifex Neopolitanus 142
Olympiæ nudatio femoris aurei 33
Oratio mentis ſimulachrum 6
Oſirim apud Aegyptios philoſophiam aperuiſſe pag. 47
Otij mulcta Athenis 185

P

PAcuuij dictum de ſapiente 61
Parmenidis dictum 69
Pauli ſpiritus flexanimus pag. 230
Pecuniæ cupido in quibus adnaſcatur 258
Periander Corinthiorum tyrannus 29
Periandri tyrannis 137
Pericles Anaxagoræ diſcipulus 66
Pericles dictus prudẽs 211
Periclis uis dicendi 153
Perſarum regis aulæ deſcriptio 79
Peteſſere 8
Petrus Bembus 325
Phidias ſtatuarius 45
Philippus Beroaldus 327
Philoſophi quare Athẽnis abacti 100
Philoſophia diuiſa in tres partes 48
Philoſophia magiſtra tradendæ ſapientiæ 27
Philoſophiæ definitio 46
Philoſophiæ deſcrip. 233
Philoſophiæ inuentores qui 37
Philoſophiæ munus 5
Philoſophiæ nomen unde pag. 32
Philoſophiæ oſtentatores pag. 132

Philoſophia

Philoſophiæ propria con ſideratio 245
Photionis egregiũ dictum pag. 176
Pindari dictũ de lege 98
Pionem laudem in abſoletis uocabulis quæſiuiſſe, pag. 167
Pittheus Theſei maternus auus 30
Plato philoſophus 45
Plato Socratem uitupe/rat 130
Platonis liber de anima pag. 139
Polemonis auditor Arceſilas 72
Populum nunquam diu in eadem ſentẽtia manere pag. 57
Præmia quibus proponenda 21
Prudentia unde deducta pag. 299
Prudentiæ & ſapientiæ uis 209
De pueris et philoſophis pag. 25 & 26
Pyrrhonis impatibilitas pag. 113
Pythagoras quare Italiã adierit 34
Pythagoræ diſcipuli arrogantes 35
Pythagoræ dictum de ſapientis nomine 32
Pythagoram nemini ſe communicaſſe 35
Pythagorica ſecta 34

Q

Quinquenniũ integrũ obmuteſcere 35

R

Rationis corruptæ malum 252
Rationis dono omnes locupletati 222
Rationis nomen unde deductum 274
Roma quando condita 83

S

Sapiens quis 53 & 54
Sapientis nomen ſoli deo congruere 32

Sapientus primum mu/nus 56
Sapientis proprium noſ/ſe et tenere quid in qua que re deceat. 159
Sapientes ſeptẽ Graciæ pag. 29 (36
Sapientia nihil diuinius
Sapientes ueteres. 25
Sapientiæ nomen. 25
Sapientiam ſine literis nõ poſſe conſtare. 39
De Sapientia ſtultorum nullum iudicium 174
Sapientiam ſui non ob/liuiſci 16
Scabies qualis morbus pag. 260.261
De ſcabie, & uita quo/rundam 261
P. Scipionis Naſicæ laus.
Semnothei. 38 (38
Senſiliorum differentia pag. 239
Socrates quam ſcientiam reiecerit. 78
Socratem audiuiſſe Ar/chelaum 68
De ſolis lumine, & ſplen dore laudis. 109
Sophiſmata 210
Sophiſtæ unde. 165
De ſtatuis dædaleis & philoſophia ſimile 16
Stilpho dialecticus 121
Stilphonis dictum, quum patria illius diripere/tur 121

T (34

Taciturnitatis ſecta Telamonẽ ſpectaſſe omnes Græcos 227
Temperans qui 87
De templis & hominum ingenijs ſimile 160
Timonis dictum 12
Thaletem aquam rerum naturalium principium poſuiſſe 77
Thaletem argutè luſum ab anicula 64
Themiſtoclis cogitatiões pag. 206
Themiſtoclem fuiſſe om/nibus

nibus ſpectaculum 228

V

DE ualetudine & ſapientia ſimile 57
Veritas in rebus 271
Veritatem inquirere ſecundum Ariſtotelē quid pag. 71
Virtutis definito quorundam uolubilis 87
Virtutis nomē ipſam eſſe uirtutem 107
Virtutes an ſint mediocritates 86
Virtutum ſedes 301
Vitam beatam tribus finibus contineri 112
Vlyßis laus 85
Voluptatem finem poſuit Ariſtippus 111
Voluptates ſordidæ 260
Vrſa minor 39
Vtile quid 250
Vtilitatem magis æſtimare quàm dignitatem 257
Vulcanum Nili filiū philoſophiæ principia dediſſe 37

Z

ZAmolxin Thraces ſapientiā docuiſſe 38
Zenonis ſententia de uoluptate 111
Zethi dictum ad Amphionem 20
Zoroaſter princeps Magorum 40

FINIS.



